



Y X

P 1


A. 500.

Fr. 1880. 20. 10016.



155





8/3032

OLYMPIAE FVLVIAE
MORATAE MVLIERIS OM-
NIVM ERVDITISSIMAE LATINA ET

Græca, quæ haberi potuerunt, monumenta,
eaq; planè diuina, cum eruditorum
de ipsa iudicijs & laudibus.

Hippolytæ Taurellæ elegia elegantissima.

AD ILL. ISABELLAM BRESEGNAM.



BASILEÆ.
APVD PETRVM PERNAM.
M. D. L. VIII



OLYMPIE FVLVIAE

LIBRARIAE MVLIERIS OMN

NIAM LIBRARIAE MVLIERIS OMN

NIAM LIBRARIAE MVLIERIS OMN

NIAM LIBRARIAE MVLIERIS OMN

NIAM LIBRARIAE MVLIERIS OMN

NIAM LIBRARIAE MVLIERIS OMN

NIAM LIBRARIAE MVLIERIS OMN



M A S I L I A

M A S I L I A

M A S I L I A

COELIVS SECVNDVS CVRIO
ISABELLÆ MANRICHÆ BRESEGNÆ
ILLVSTRI, AC RELIGIOSÆ, FOEMI-
NÆ PER CHRISTVM IESVM.

S. P. D.



QVOD Socrates dixit, foemi-
nas si diligenter instituantur,
non minus aptas ac dociles
ad literas & artes liberales
omnemque virtutem, atque
adeo ad fortitudinem, quæ vi-
rorum propria esse putatur,
quàm mares; id verum esse non ita paucæ, tum pa-
trum tum nostra memoria, non obscure declara-
runt. Possem ex omni ætatum memoria exempla
proferre, nisi de claris mulieribus integra volu-
mina extarent, & omnium iam manibus versa-
rentur. verum in eis quàm paucas legimus cum
eruditione morum castimoniam, pauciores ve-
ram religionis cognitionem, & sacrarum amo-
rem literarum coniunxisse: atque in eisdem, vix
vllam, quæ græcæ simul & latinæ linguæ faculta-
te polleret. Nostra verò ætas multis rebus felix
hac etiam felicior alijs, aliquot protulit, atque in-
ter eas vnam in quam Deus omnes ingenij Do-
tes contulisse videtur. Hæc OLYMPIA FVL-
VIA MORATA, appellata est, FVLVH
Mantuani viri doctissimi filia, cuius hîc vitam de-
scriberem, nisi ex sequentibus epistolis, facile

colligi & cognosci posset . Nam latinæ græcæ-
que linguæ, atque earum artium quæ his conti-
nentur in ea tanta fuit peritia, vt non modò mulie-
res eruditas, verùm etiam multos excellentes vi-
ros superaret. Addidit Deus tantum filij sui rerum
que diuinarum amorem, vt in terris agens, animo
versaretur in cœlo. Multa & varia diuini ingenij
monumenta ipsa protulit. Defensionem Romani
oratoris aduersus quosdam eius nouos calumnia-
tores suscepit: quæ oratio Cœlio Calcagnino
viro doctissimo valde probata fuit, vt ex eius qua-
dam ad eam epistola, quam alijs adiecimus, con-
stabit. Observationes in principem poetarum Ho-
merum conscripserat: carmina complura variâ-
que de diuinis presertim rebus magno cum lepo-
re panxerat: Dialogos tum græcos, tũ latinos ad
Platonis ac Ciceronis imitationem elaborauerat
adeo perfectè, vt ne Zoiolus quidem ipse quid re-
prehenderet, esset inuenturus. Ac prolusiones
quidem illas tres in M. Tulij paradoxa, quas edi-
dimus, quæ προίμια Græci appellant, sexdecim
vix annos nata confecit ipsa, & me cum multis a-
lijs & mulieribus & viris audiente, in priuata Re-
ginæ Ferrariensis Academia paradoxa ipsa expli-
catura, memoriter & venustè pronunciauit: quas
etiam mihi petenti post, sua manu descriptas de-
dit. Has ego tanquam noua Charitum munera in
hunc vsque diem conseruaui: Alia omnia vnà cū
mariti sui patria Suinforto Germaniæ vrbe, perie-
runt, vt ex quadam eius ad me epistola infra pate-
bit. Nos pauca hæc tanquam reliquias Danaûm
atque inimicis Achilli, vt potuit, collegimus: ex
quibus

quibus tamen paucis, specimē capere quibus pos-
sit reliquorum : quasi que ex vnguibus Leonem
æstimare. Sunt enim oratiunculæ: sunt latinę epi-
stolæ: sunt versus partim græci partim latini, om-
nia scripta dulcissimè atque purissimè. Adieci-
mus etiam, aliorū aut ad illam, aut de illa epistolas
& carmina, vt quanti à doctis fieret intelligatur.
Sunt & fortassis apud alios alia (nam epistolas &
carmina ad multos scripsit) quos rogatos velim
vt ea ne iacere patiantur: sed aut ipsi cum his con-
iūgat: aut nobis edenda trās mittant. Quā in re gra-
tia habēda est Gulielmo Rascalono nobili Gallo,
qui post Olympiæ eiusque mariti obitum (neque
enim cum charissimam coniugem in cœlum ascē-
disse videret, sine ea diutius in terris esse potuit)
quæ nancisci potuere, nobis ipse tradidit: est que
nos ad horum editionem hortatus. Quædam etiā
exhibuit Ioannes Heroldus homo antiquitatis pe-
ritus, & multæ lectionis. Hæc igitur ne diutius la-
tere pateremur, & tam suavi elegantique lectione
studiosos priuaremus, typis describenda commis-
simus: atque in tuo pulcherrimo nomine ISA-
BELLA mulierū fortissima ac religiosiss. appa-
rere volumus, vt hac qualicunque significatio-
ne, quanta sit apud me ingenij istius tui insignis-
que pietatis opinio, cognosceres. Nouimus e-
nim omnes, quantis per multos annos machinis
tua in CRISTVM DOMINVM fides tentata
pulsataque sit: quæ nihilominus Dei ope firma
integraque permansit. Nam etsi tuorum in Italia
nostra certaminum pro sanctissima religione spe-
ctator ipse non fui, ab ijs tamen accepi, qui testes

ipsi oculati fuere, cum quibus de te tuaque salute
plenos piæ ac sanctæ sollicitudinis sermones sæpe
numero habebamus. Quamquam, quid erat cele-
brius in tota Italia, quam Isabellam Manricham
Bresegnam, vnam inter nobilissimas mulieres re-
ligionis integritatem magnis etiam periculis &
damnis, quæ secum trahit Euangelij Dei confes-
sio, conseruare? Atque vt aliquid attingam, neque
tamen ab eo tempore incipiam quo Neapoli pa-
tria tua diuino lumine illustrari cœpisti, dicam de
vltimis hisce diebus, in quibus te plusquam mulie-
rem, imò plusquam virum ostendisti, nimirū eius
dicti memor: Qui cœperit, & ad extremum vsque
perdurauerit, saluus erit. Fuiſti igitur Placentiæ, e-
ius vrbis præfecti Graziæ Manrichi, clarissimi vi-
ri coniunx, in qua vrbe, vt alibi semper temperan-
tiæ, pudicitia, modestiæ, charitatis, patientiæ illu-
stria documenta edidisti. quamobrem, tuum di-
scessum quasi piæ parentis omnes Placentini de-
ſeuerunt. Venisti post de rebus necessarijs Medio-
lanum: vbi cœpisti acrius indies oppugnari, vt a
sincera pietate ad vanam superstitionem defice-
res: verum quicquid tibi obijciebatur ad impe-
diendum, id te magis quò spectabas impellebat: &
quæ ad extinguendum quod in te Dominus lu-
men accenderat, excitabantur: ad inflammandum
magis flabra valuerunt, id quod euentus tandem
ostendit. Nam cū animaduertes te, quod Domi-
nus docet, duobus inter se dissidentibus domi-
nis seruire non posse, alterum maluisti deserere,
vt alteri te totam addiceres, quàm neutri satisfacere.
CHRISTVM ergo secuta verum atque
ama-

amabilem Dominum, Tyrannum importunissi-
mum reliquisti: teque ad cœtum sanctorum fragi-
libus contemptis, quibus circumfluebas bonis,
corpore, vt antea animo, adgregasti. At nunquid à
pugna & certamine ista migratione tuta fuisti?
nullo modo. Nam simul ac alpium iuga superasti
atq; isthic constitisti, illico missi sunt nuncij cum
mariti, fratris, atque aliorum literis, qui te reduce-
rent. Insecuti sunt duo filij tui charissimi, magna iã
& gratia & autoritate viri: hiq; non simul, sed ex
interuallo alij alijs succedentes: vt si minus vno
impetu caderes, diuersis saltem impressiõibus
victa, manus dare cogere. Quid hîc tu Isabella,
& mulier, & in delicijs opibusq; & nata & educa-
ta? cessisti fortè, ac viri tui, filiorumq; amore, ac
mollicie quadam victa es? nequaquam: quin po-
tius, môtis Sionis instar, nullo què suo potest mo-
uere vis vnquã loco, immobilis perstitisti: eorum-
q; tela & ictus FIDEI scuto excipiens, gla-
dio spiritus, quod est Dei verbum, omnes re-
pulisti fregistiq;. Respondisti enim te nihil magis
in hac mortali expetere vita, quàm cû marito tuo,
cum dulcissimis liberis viuere, si modò id pacata
conscientia tua liceret: itaque te paratam esse vbi-
cunque ille velit, cum eo agere, eiq; seruire: ea
tamen conditione & lege, vt & Christo libera con-
scientia seruire posses: fidemq; ei datam (quæ pri-
ma omnium est) non modò rectè sentiendo, ve-
rùm etiam religiosè colendo, conseruare. In quo
satis declarasti te pluris videlicet facere probrum
Christi, quàm Ægyptiorum perituros thesauros.
longè secus quàm ille, qui nuper Ægyptum re-

ſpectans, in Ægyptum miſer̄ reuerſus eſt. Nec
mirū. nunquam enim Ægyptum reliquerat, qui
Ægyptiaſecum ollas carne refertas aduēxerat. O
rarū in fœmina, & in tali fœmina exemplum, non
mulieribus modò, ſed uiris etiam ad pudorē pro-
poſitum. O fidem, ô conſtantiam ſingularem. Hęc
me Iſabella, & alia in te Dei immortalis dona, vt
hęc Olympiæ noſtræ diuina monumenta in tuo
& nomine & patrocinio emitterem, impulerunt.
Nam cui tam eruditæ tamque ſanctæ mulieris o-
pera, quàm mulieri nobilitate, ingenio, & religio-
ne præſtanti commendarem? ei præſertim quam
non puduerit (vt pleroſque) vel in media Italia
Chriſti nomen profiteri. Adde quòd hæc ratione
Olympia, quam Italia genuit, Germania ſepelit,
ſuæ quodam modo reſtituetur Italia. Quæ cum
ita ſint Iſabella nobiliſſima Deoque chariſſima,
has Olympiæ noſtræ non corporis caduci, ſed pij
& immortalis animi atque ingenij reliquias, tuæ
pietati diligenter commendo: quas nihil dubito
te pluris eſſe facturam, ſanctioreque habituram lo-
co, quàm oſſa quedam pulueresque, & id genus a-
lia mortuorum, quæ ſacerdotum auaritia vulgiq;
credulitas non ſeruanda modò, verùm etiam oſcu-
landa, & religioſa ueneratione colenda cenſet.

Deum patrem Ieſu Chriſti Domini noſtri

precor, faciat vt iſto tuo ſancto e-

xemplo per diu Chriſti Eccle-

ſiæ prodeſſe queas.

B A S I L E Æ.

OLYMPIAE FVLVIAE
MORATAE IN CICERONIS
PARADOXA PROOEMIA.
IN PRIMAM LÉCTIONEM.



QVOD si ueniam petere solemus
cū aut imprudentes errauimus,
aut cū impulsī peccauimus, ut e-
gregia est M. Catonis Aulum Albi-
num reprehendentis apud Gellium
sententia; multis nominibus ego ue-
niam à uobis, & petere & impetra-
re debeo: à uobis, inquam, humanitatis professoribus; pre-
cipuè uerò à te princeps tam comis, quàm illustris. Et mul-
tas sanè res excusassem, quamobrem uicem huius uestre
uicissitudinis effugere potuissem, quā quidem ἐναυηλω
παίδειαν optimè refertis, non ne caussa sontica (ut aiunt)
immunitatis mihi esse debuisset? quòd tandiu grauissimè af-
fecta (ut nostis) iacuerim, nihilq; tanto tempore obserua-
tione dignum audiuerim legerimue: ut nihil interea dicam,
quòd meritò ego tanquam rudis tyruncula non deberem
qualis Pentesilea furens cum tantis uiris concurrere. Cete-
rū quia nulla res erit unquam tam ardua ANNA prin-
ceps, quæ si mihi à te imponatur, quam detrectem, obedi-
entiam potius quàm taciturnitatem elegeri, & idem mihi usu-
uenit, quod me in quadam fabula legisse commemini de
Æolone onus recusante, cui integrum erat, quicquid sarcini-

ne uellet tollere modo ne uacuis abiret: deterritus cumu-
 lis colligati straminis, arcam grauißimi plumbi plenam,
 quàm stramina subire maluit, onus non ex onere, sed ex
 apparenti magnitudine iudicans. Ita ego M. T. C. parado-
 xa (breue enim opusculum) leuia esse ducebam: at postea-
 quam oneri humeros supposui, sentio esse onus ætina graui-
 us, uixq; ipsi Herculi imò Atlanti, tolerabile. Quòd si
 memor fuisset præcepti illius poetæ, prius diu quid hume-
 ri ferre mei possent, recusassent uè tentassem: sed præ-
 clare mecum actum est, quod Scipionis somnium non elege-
 rim, libellum non ex re ipsa ingenti, sed ex paucissimis pa-
 gellis illius existimans, ô quæ somnia me somniantem uo-
 bis recitare audissetis? quos rōchos? sed hīc quoq; fortasse
 dormiemus: quod si non erit, erit inter alia paradoxa mira-
 culo. Sed iā quid ipse Tullius dicat, uideamus in hac noua
 philosophia, non multum quidem meo iudicio à christia-
 na abhorenti.

IN SECUNDAM LECTIO-
 NEM.



ALEXander magnus ita in militari disci-
 plina ut in cæteris omnibus maximus, ho-
 minem qui semel duntaxat in exercitu
 strenue se gessisset: & audacem gladia-
 torem in una compositione egisset, non
 ita statim fortem inclytumque declarabat: cæterum
 qui bis ter uè aut sæpius generosè fecisset, illum eximia
 uirtutis & credebat & predicabat: præcipueque inter
 suos

27
suos sibi suauiores ueteranos amplexabatur, dicebat enim semel esse penè nunquam, minimèque rarò usu uenire, ut quis casu potius quàm sua industria aliquid egregium præstare posset: parere enim existimationem multo facilius esse, quàm retinere: quod quidem animaduertens sapiens ille adolescentium institutor non de nihilo dixit: Existimationem retine. Egregius igitur imperator hoc fortasse didicerat, ab illo alioqui optimo sagittario, cui apud se laudato, quippe sagittas procul ex arcu per annulum angustum uixq; earum capacem immitteret, nunquam persuasum fuit, etiam capitis periculo proposito, si regis iussis non morem gessisset, ut tale quidpiam coram ipso rege tentare uellet, timens magnæ suæ expectationi non respondere. Narro uobis planè, si mihi per iussa uestra licuisset, æquo animo tacuissem, semel non omnino uobis in dicendo displicuisse contenta, uel quia uidear eam famam consecuta, ut non tam accessio querenda, quàm Fortuna metuenda sit, quia negotio non sint pares uires nostræ; ideoq; immortales gratias egissent Deo habuissemq;, quòd res semel ex sententia mihi successisset: sed cui nunc constat an potis ero grauem aduersariam mihi constitutam, idest, continuationem incepti nominis sustinere ac tueri? imò præclarissimè mecum aduinduxero, si culpa mei ingenioli, non deteram nascentem meam gloriam ante educationem. Lysias orator, cuiusdam cui dies dicta fuerat, orationem conscriptam qua se defenderet, donauit: ille uerò cum eam sepius perlegisset, Lysiam adiuit totus tristis; ac: cum primò inquit, orationem tuam percurrissem, admirabilis uisa est: cæterū cum

ſæpenumero perlegiſſem, hebes omnino & inefficax. Tum Lyſias ſubridens, quid ergo, inquit, an non ſemel duntaxat eam apud iudices habiturus es? ac ſi diceret: non deſplicere ſemel ſatis eſt. Ego uerò à uobis coacta, exitus incerta, ut eſt periculoſæ plenum opus aleæ, orandi & interpretandi munus, & ut omnium rerum incerti ſunt exitus, ecce iterum in arenam prodiij, nihil aliud quàm uobis morem gerere cogitans. Ad rem igitur aggrediamur, ut mea infantia Tulliana eloquētia mixta, & minus balba & minus inepta uideatur.

IN TERTIAM LEC-
TIONEM.



Vereor clariffimi uiri, & uehementer mediufidius uereor, ne mecum Fortuna fallaciſſima quod cum multis aleatoribus ſolet, agat, quibus ſemel, atq; iterum adeò aſpirat & fauet, ut illi exiſtimantes ſe ipſos cæcos, ideſt filios illius maximæ reginæ, audacter ſemel in aleam exponant quicquid undiq; corradere potuerunt, ecce tibi fortunis omnibus priuati, Fortunam eſſe Fortunam, ſentiunt: eamq; grauiffimè multis conuicijs proſcindunt, tunc cum in portu eſſe, imò uerò ipſum portum occupare uidentur. Vereor inquam ne mihi idem accidat quod multis inſcijs pellaciæ maris, & quo pacto mare ficus quærere ſoleat, & ſuis blandicijs allicere ad nauigationem: donec deprehenſos in altiffimis undis obruat, aut ſaltem naufragos eiſciat. Prudenter priſci Romani parta aliqua uictoria pro re bene geſtâ

23

gesta & suis dijs immolabant, & supplicationes decerne-
bant, ut ne quemadmodum multi dulci Fortuna ebrijsolent
insolentiores & ferociiores esse, successu fortè superbi
facti, audacissimiq; periculorum fierent contemptores: &
temere incurrerent, unde pedem referre nequirent: ut
sæpe multos felicissimo rerum euentu insolescentes infeli-
citer ruere cernimus. Cum: Vis consilij expers mole ruat
sua. Homerus in quinto Odysseæ de superbo.

Lætatus uentis pandebat uela secundis. Iidem Romani tri-
umphatoribus sub curru hominem sentū, squallidum pānis
annisq; obsitum, dicam illuuiem & horrendum spectacu-
lum adiungebant: deinde supra currum scurra erat, qui
triumphatori subinde corripuens laciniam, sæpe dicebat:
heus tu, respice de curru: ac si diceret: Viden, tu hunc ho-
minem miserum atq; infelicem? caue ne insolescas plus ni-
mio hac tua uictoria; quia ut humanitus res mortalium se
habent, tu à triumpho isto & alijs, similis esse posses. Qui
quidem Patres uerè grauiissimi eosdem triumphatores cum
triumphassent anulum aeneum digito gestare uolebant,
amuletum & symbolum quod è terra geniti essent: rubi-
ginemq; ut ferrum atq; æs contrahere possent: & seipsos
ne sempiternos deos putarent, quamuis alioqui gloriosi
essent: & ut ne *φιδάυτοι* alios dedignarentur. Duæ
igitur res mihi maximæ à Fortuna insidiosa uehementer
timendæ sunt; quarum duarum utram minus uelim equidem
non uideo: tamen in hanc sententiam eo, ut minus graue
mihi futurum esse existimem, ab illa illudi: adeò, ut si
quid antea bis fecisse uisa sim, tertia hæc mea congressio
me denigraret & auferret penitus (si quid ipsius erat) no-

men gloriā me, quā uitium arrogantiae subsequi: sed ut
 sentio, quia praesaga mali mens, extra aleam huius dubij
 sum: in alteram uerò periculi aleam, apertè me incidisse
 sentio, sentio inquam. Caterum nisi quicquid erit, ego ad
 hanc duram prouinciam non ultrò ut Phaeton sum aggressa
 sed iussa, & quidem quicquid ignominiae est, uestris ius-
 sis morem gerens pati malo, quā notam obstinatae rusti-
 citatis mihi inuri, nam uos scire ἐν μεγάλῳ ἀγνεῖν καὶ
 τὸ θελῆμα μόνον haud me fugit, & iam uos humanissi-
 mos experta sum, tamen ut uobis dicebam, & ob meam
 innatam timiditatem, & ob exiguitatem mei ingenioli
 tota tremo horreoq; iam Lugdunensem ad aram tanquam
 dictura sim. Vah, tandem sensi stolidam, & uix nunc respicio
 & quae sit me circum copia lustro, non solum hodierna
 concione, sed etiam duabus praeteritis consternor & oppri-
 mor: similis caeco illi, qui dum caecus erat per pontem stri-
 ctum transibat, flumen horrendum, ingensq; celeri
 gradu intrepideq; caterum reparata luce cum non am-
 plius caecus, quae esset transgressus uidit, deterritus nun-
 quam praeterea pede pontem tangere uoluit, cui prius
 ignoto sese committere audebat. Sed quicquid erit, nulla
 uictima Deo unquam magis quā obedientia placuit, ut in
 sacrificio non sacrificato, nisi obedienti uoluntate Abra-
 amus litauit. Ecce me aliquantulum tertio recreatam, quia
 ut rudis statuarius artisq; imperitus, quam tamen profite-
 tur, nactus parij marmoris partem aliquam, licet illius
 artificium exiguum sit, non nihil fecisse uidetur: quòd si non
 opere, saltem materia quae superat. Inflatu cuiusuis tibi-
 cinis, Anthiopa placebat auribus priscis maximum in
 modum

modum: placebat æquè Andromacha cultu suo: uerùm peritus musicus si utranq; æderet: maiorem in modum afficiebantur & grauius, sed præter Arbusculam & Roscium, si Cyclopa quis alius saltasset, illi nihil profuit crocus, uel panchæus odor, siue scenæ nitor, cum exploderetur multis reiectus sibilis, tam magni refert materia, tam magni artifex, ut ni simul concurrant, deficiat alterum: quod si modo non deficiat, afficiat multo minus. Sunt tamen, sunt aliquot cantilenæ adeò concinnæ & numerosæ cõpositæ, ut à quauis tibiola rustico uè sono æditæ, iucundæ uideantur. Ita pulchra, ita dulcia, & adeo suauiasunt Tullij mei uerba, ut quouis modo pronunciata, plurimum suæ ingeneratæ maiestatis præ se ferant. At ut res planius ita se habere constet, audite quæso etiam à me ædita, quantam maximam maiestatem seruent, & ut ad huc augustissimè renideant.

CAELIVS S. C. XYSTO BETV-
LEIO S. P. D.

DE Olympia nostra scribis te certiozem fieri cupere, quòd pleriq; fictum nomen arbitrentur. Faciam quod petis perquam libenter & breuiter: quanquam uel Georgius Hermannus, quæ nam sit testari potuisset. Olympia igitur patrem habuit Fuluium Moratum Mantuanum, uirum doctrina & probitate præstantem, cum quo mihi hospitium antiquuũ & amicitia fuit. Is & in clarissimis Italiæ ciuitatibus publico docendi munere functus est, & Alfonso

a 4



Ferrariensis Reguli filios, Herculis fratres duos, literis
 ac bonis artibus instituit ac perpoliuit. Cum autem hanc
 Olympiam haberet ingenio summo præditam, omnibus
 literis quibus ad humanitatem homines informari solent,
 domi erudiuit: quæ breui tantum profecit, ut admirationi
 nostris hominibus esset. Itaq; cum Anna, Herculis Estensis
 Ferrariensium Reguli filia, iisdem literis à Ioanne Sinapio
 uiro summo institueretur, ut haberet cum qua honesta
 emulatione certaret, uisum matri est (quam summi ho-
 noris gratia nomino) ut Olympia in aulam aduocaretur;
 in qua aliquot annos magna cum laude fuit. Ibi audiuius
 nos eam ita declamantem, Græcè loquentem, Ciceronis
 Paradoxa explicantem, ad quæstiones respondentem, ut
 cum ueterum puellarū quauis, quæ quidem ingenij laude
 excelluerit, conferri posse uideretur. Dum ita pergeret,
 incidit in lethalem morbum Fuluius pater: cui ut mini-
 strare relicta aula domum se contulit filia. Mortuo pa-
 tre, quod esset natu maxima, & matrem admodum
 ualetudinariam haberet, rem familiarem administrare
 coepit, & fratres sororesq; honestè educare. Erat autem
 Ferrariae Andreas Grunthlerus, iuuenis græcæ & latine
 linguæ benè doctus, qui Medicos audiebat, ubi etiam lau-
 ream Medicam affecutus est. Is Olympiæ eruditionem sin-
 gularem, moresq; castissimos admiratus, eam (quæ uicissim
 nihil in homine præter ingenij dotes admiraretur) uxorem
 delegit: sibiq; pulchro connubio copulauit. Ab hoc igitur
 in Germaniam ducebatur tum, cum apud Georgium Her-
 mannum regis Ro. consiliarium, uterq; Augustæ fuit. est
 enim Germanus ipse, qui Italiam tam erudita puella spo-
 liauit.

liavit. Quamobrem nō est quod de Sapphico carmine, Græcè conscripto, quo Dei summi celebrat laudes, addubites. Verè enim Olympiæ opus est, quod quidem nobis quibus a teneris nota est, quiq; alia eius monumenta & uidimus, & habemus, mirum non uidetur. Est enim literis & disciplinis tum græcis tum latinis, supra quam quis credere possit exulta, & scientia religionis illustrata. Hæc de Olympia. Reliqua tu ab optimo & egregiè docto uiro Georgio Hermanno, accipies. Vale Basileæ. s calend. Ian.

OLYMPIA MORATA GRVNTHLE
RA CAELIO. S. C. S. P. D.



VM multis ac maximis fluctibus iactata, me in Germaniam, tanquam in portum contuliffem, nihil mihi antiquius fuit cum te istic esse ex Georgio Thrace uiro optimo. Patauij intellexiffem, quàm ut ad te nostri studiosissimum scriberem: teq; de rebus nostris tanquam familiarissimum certiozem facerem. Cum enim patri meo, dum in uita manebat, amicissimus fueris, hanc me tueri amicitia debere existimaui. *πρὲς πῦ γὰρ τοῦσ παῖδας ὡσπερ τῆσ οὐσίας οὐτο καὶ τῆσ φιλίας τῆσ πατριῆσ κληρονομεῖμ.* Scito igitur ab hinc bienniū patrem meum multis exantlatis laboribus singulari in Deū fide, ex hac turba & colluuiōne discessisse: me uerò post mortē illius (ut sapientius à Græcis *συμφορὰμ*, quàm à Latinis calamitatem, appellare iudices) statim ab ijs à quibus minimè debui desertā, indignisq; acceptā modis fuisse: neq; hoc mihi separatim à
4 5 meis

28
meis sororibus accidit, sed hos fructus omnes retulimus, nō
mirum pro labore & officio, tulimus odium. Quanto uerò
fuerim dolore affecta, tu existimare potes. Nullus erat qui
nos respiceret, & nos res eodem tempore circum uallabant
unde emergi nunquam posse uidebatur. Sed ille optimus pu
pillorum pater, non me diutius in hisce malis, quàm bien
niū reliquit: qui amorē mei in quodam Germano, philoso
phia & medecinae artibus excellenti, Andrea Grunthlero
(nam hoc illi est nomen) excitauit, qui nullo Principis odio
nullis meis miserijs deduci potuit, quin me in matrimonium
duceret. Hic igitur me in Germaniam duxit, ubi aliquot
dies apud Vindelicos, cum Georgio Hermanno regis consi
liario, fuimus, quem uir meus agrotum curauit: hinc breui
in patriam mei uiri, quæ in Francia orientali sita est, ituri
sumus, & ibi menses aliquot cum affinibus & amicis
consumemus. Quanta autem uir meus sit probitate,
quàm literis græcis & latinis eruditus, malo te ex alijs
quàm ex meis literis cognoscere. Hoc tantum te scire uolo
si cum principe mea summa mihi gratia fuisset, si me ditaf
set, non potuisse me in meliorem statum collocari, quàm
in quo misera & spoliata, sum à Deo collocata. Doctus est,
non infimo loco natus, cui etiam pater aliquid patrimonij
reliquit. Tantis uerò est eius amor in me, ut nihil supra
possit esse. Eandē opem Deum meis sororibus laturum con
fido, eas Ferrariae apud matrem reliqui, tres enim habeo,
& eas nubiles, fraterculum annos octo natum huc mecum
adduxi, quem literis græcis & latinis quantum in me
est, eru dire conor. Hæc omnia ad te scribere uolui, non ut
nostris malis laborares, sed ut nobis gratuleris. fautor
enim

enim nobis Deus in nostris ærumnis extitit : imò omnia hæc mihi contigisse letor : ego enim si diutius in aula hæsissem, actum de me, ac de mea salute fuisset. Nunquam enim, dum ibi fui, quicquam altum aut diuinum sapere potui, neq; libros utriusq; testamenti legere. Sed posteaquam quæ nos tueri debuerat, maleuolentia & obre-
 ctationibus quorundam improborum à nostra familia alie-
 nata fuit, non me tam miro desiderio hæc breuia, fugucia
 & caduca affecerunt: sed Deus cupiditatem meam incen-
 dit habitandi in illa caelesti domo, in qua iucundius est die-
 culam unam commorari, quàm annis mille in istis princi-
 pum aulis. & ita me ad diuina studia retuli: cuius rei testi-
 monium sunt carmina, quæ superiore anno feci, quæ sub-
 scripta eò ad te mitto, ut uideas ocium mihi tot calamitati-
 bus oppressæ, literis operam dandi Deum præstitisse: qui
 me etiam huic uiro nuptū dedit, qui magnopere hisce meis
 studijs delectatur. Atq; hæc de rebus nostris. Quid uerò tu
 agas, quid uxor, & liberi, cum aliquid ocij nactus eris, fa-
 miliarissimè ad me perscribas, uelim Vale. Augusta,
 Nonis Octobris.

C. S. CVRIO OLYMPIAE MORA-
 TAE GRVNTHLERAE. S. D.



LITERAS tuas nonis Octobris superiore
 anno Augustæ scriptas, cum accepissem, iam
 tu Augusta in uiri tui patriam profecta fue-
 ras. Id autem rescui, quòd cum tibi respon-
 disse, iuuenta non es : nec quisquam tunc dicere potuit
 oppidi

oppidi aut urbis tuæ nomen, nisi quòd proximis mundinis
 cum me per Isingrinium Basiliensem Typographum Io.
 Sinapius iussisset salutari, tui quoq; iisdem literis mentio-
 nem iniecit: ex quo intelligere potui, illum, ubi nam age-
 res, probè tenere. Quare, cum rursus idem Isingrinus ad
 nudinas profiscisceretur, ad te scribere constitui, & lit-
 teras ad Sinapium mittere, qui ad te perferendas curet: id
 quod non dubito cum cum mea, tum etiam tua causa liben-
 ter esse facturum. Primum igitur ago tibi gratias immorta-
 les Olympia, mulierum decus & ornamentum singulare,
 de eo quod post tot annos, tam remotis terrarum interuallis
 nostri tamen non es oblita: & paternas amicitias heredita-
 rias tibi esse uolueris. In eo enim declarasti, quanti patris
 tui iudicium in amicis deligendis: quanti quoq; amicos, ac
 me presertim facias. Quamobrem hoc tibi persuadeas ue-
 lim, neminem pluris me quam patrem tuum dum uiueret,
 fecisse, cuius tu honestissimas artes, & quod omnium ma-
 ximum est, pietatem imiteris. Caue putes ullam esse inter
 mortales, una uxore & filialibus exceptis, quam pluris
 faciam, quam te: quam magis amem & colam, quam te u-
 nam. Itaq; tibi uirum istum tuum præstantissimum gratu-
 lor, atq; ita gratulor, ac si uni ex filiabus meis contigisset:
 simulq; Deo Opt. Max. gratias ago, qui tui misertus, ætatis
 > florẽ tuæ uirginalemq; pudorẽ ex istis siue ollis siue aulis
 > eripuit, atq; in auream libertatẽ asseruit. Hymnũ siue o-
 den Græcè elaboratam, ualde probo: in eam enim Dauidis
 Psalmum XLV coniecisti. Utinam plures hoc modo tra-
 ctares: Pindarum Græcis non inuideremus. Perge igi-
 tur mea Olympia, quò te iam dudum tua Musa uocat.

Laurum

Laurum sacram tuo diuino capiti impone, de sacratione enim fonte spiritum poeticū, quā Pindarus, aut Sappho illa, hausisti. Quod si iam, quod non dubito, aliquid nouū peperisti, siue ex capite, siue ex castissima aluo, fac me ut sciam, ut tibi nouas gratulationes scribam, & tecum ista letitia fruam. Velim autem, Olympia charissima mihi sepius scriberes: quod si feceris, scito te mihi rem gratiorem facere nullam posse. Delector enim summopere tuarum elegantia, sanctitate, suauitateq; literarum. Et ut scias quā tui sim studiosus, mitto ad te exemplum literarum quas ad Xystum Betuleium, uirum doctissimum, & mihi amicissimum scripsi paulo post quā Augusta discesseras. Vale Olympia charissima, cum doctissimo atq; optimo uiro tuo: cum quo te Deus in placida pace tueatur & foueat. Quod si contingeret uos in Italiam redire, hac iter ut faciatis rogo: ut praesentes amplexari, & ueterem amicitiam conuinctis dextris renouare ualeamus. S. D. Vxor mea, cum liberis omnibus. Iterum ualete, par felicissimum & sanctissimum. Basileæ Nonis Septembris.

OLYMPIA MORATA GRVNTHE
RA CAELIO SECVNDO
CVRIONI S. P. D.



RATISSIMAE mihi tuæ literæ fuerunt, ex quibus intellexi tam longum & temporis & locorum interuallum nihil de tua erga nos beneuolentia detraxisse. tales nimirum Christianorum amicitiae esse solent. Grates igitur ago
Deo

Deo meo, qui me tali dignatur honore, ut à suis amer. Impios enim quantumuis sint potentes, dites, nobiles, uel etiam eruditi, non magnifacio, siue me oderint, siue amare uideantur. Qua propter etiam tuum de meis carminib. iudicium gratissimum mihi fuit. Nam te cum maximi faciam, si aliud id esse intellexissem, ab hoc scribendi studio me deteruissem: nunc autem cum à pijs hominibus illud, praesertim uerò à te non improbari uideam, quantum in me erit, in hoc elaborabo. Quod autem nos rogas, ut, si quando in Italiam redeamus, iter istac faciamus, ego nos eò unquam profecturos affirmare non possem: non enim hoc animo huc uenimus, ut iterum Italiam petamus: nam te non fugit, quàm sit periculosum illic Christianum se profiteri, ubi potestatem habet tantam Antichristus, qui iam, ut audio, in sanctos ita bacchatur, & ita saeuire incipit, ut ludum iocumq; dicas alterum illum fuisse, praeterea ut huius rabies quaedat: in omnes enim Italiae urbes, suos Corycaeos misit, neq; ut ille alter, ullis praecibus flecti potest. Superiore enim anno, nescio an tu audieris, Faninum quendam pium uirum, constantissimae fidei, cum in carcere ferè biennium fuisset (nunquam enim neq; metu mortis, neq; coniugis uel liberorum amore, à ueritate discedere uoluit) suffocari, deinde corpus cremari, nec hoc contentus, ossa in Padum proijci iussit. Quare, licet meorum maximo desiderio tenear, tamen in ultimas terras proficisci mallem, quàm eò redire ubi ille tantopere saeuendi potestatem habet. Si uerò hinc nobis discedendum esset, nusquam aliò libentius quàm ad uos proficisci uelim. Viderer enim mihi apud meos esse, si uobiscum uitam agere contingeret. Quamobrem si istic
uel

uel egros curando, uel publicè legendo, suo munere fungere
 posset Vir meus, libenter, uel mea causa acciperet conditio-
 nem. Si hoc fieri posset, nihil mihi iucundius accideret. Es-
 sem etiam Italiae propinquior, ita ut sepius ad meam cha-
 rissimam matrem, sororesq; meas, quæ mihi ante oculos
 noctes diesq; uersantur, scribere, & ab illis literas accipe-
 re uicissim possem: quod hîc perdifficile est: accepi tamen
 hoc mense, satis longo interuallo. Et quia scio te nobis om-
 nia cupere, mea interesse uidetur, ut de illis te certiores
 faciam. Scruebant meæ sorores una Helena Rangona Ben-
 tiuolæ: altera eius filia quæ Mediolani nupta est, quan-
 cùm ad te scripsi, Ferrariam uenisse arbitrabar: sed cùm se-
 dare in uiam cogeretur, & omnia parata essent, adole-
 scens quidam, unicus patris filius, satis locuples, hoc au-
 diens, eam abire non est passus: sed nullam petens dotem,
 in matrimonium duxit: quæ mense Maio hoc anno Ferrar-
 iam matrem inuisit una cum suo sponso, & apud eam
 dies aliquot commorata est: alteram Romam secum addu-
 xit Lauinia Ruuerensis Camilli Ursini nurus, qua ego nul-
 lam doctiorem in Italia noui, & quod omnium maximum
 est, pia est. Ita Deus mirificè cum sanctis suis agit; quemad-
 modum etiam superiore anno, cum Vuirceburgi apud Si-
 napium essemus, in maximo periculo nobis præsto fuit. nã
 fraterculus meus, quem mecum habeo, è fenestra sanè ex-
 celsa super aspera saxa decidit, eum omnino moriturum
 putabamus: aut si uiueret, *ἀδύνατος ὄτατος* Sinapio & meo
 uiro esse uidebatur, eum non in epilepsiam incidere. Sed
 non plus mali habuit, quàm si in molli humo cecidisset. Et
 locus est adeò excelsus, ut adhuc meus animus meminisse
 horreat.

horreat. Verum de hoc tanto Dei praesidio ad matrem scribere non sum ausa. Non enim adduci posset, ut cum, nisi uideret, uiuere crederet. Haec habui quae de meis tibi scriberem. Hoc unum autem te rogare uelim, ut si librum illum de Instituedis liberis à te compositum habes, qualem in edibus Sinapij legi, ad me mittas ubi commodum erit. Cupio enim eum diligenter legi à mea sorore, quae Mediolani est. Si tuum etiam illum Ecstaticum dialogum latinè scriptum haberes, nos & aliquot uiri boni qui hìc sunt legemus. Habes epistolam satis uerbosam. non enim uereor, ne te scribendo expleam: praesertim cum intellexerim, in hoc genere te studium meum non aspernari. Sed tamen cum uuum adiecero, finem faciam. Necesse enim arbitror tibi respondere ad id, quod ex me quaeris, an aliquid pepererim. Hos foetus quos eodem die, & eadem hora qua tuas literas accepi, edidi, ad te mitto: haec scilicet carmina, hìc adscripta. Dialogum etiam Latinum quem nuper composui, cum descripsero, ad te mittam. Nullos alios foetus edidi, nec edēdi haecenus mihi spes est. Te uerò doctissime Celi, rogo ut quid agat uxor, quot habeas istic liberos, quid discant, ad me diligenter perscribas. Omnia enim tua mihi maxima sunt curae. Cum autem ad me literas dabis, ad Sinapium nostrum Virceburgum mittes. hoc oppidum à Virceburgo tantum iter unius diei abest. Vale.

Maritus meus uobis omnibus S. P. D.

Suinfordij, Cal. Oclo. uespere
festinans.

OLYM-

OLYMPIA MORATA GRVNTHE-
RA CAELIO. S. CVRIONI IN
CHRISTO IESV.

ΕΥΠΡΑΤΕΙΝ



GO mi Celi nulla iam me excusatione apud te uti necesse esse arbitror, cur tuis literis iampridem ad me datis non responderim, cum bellum ipsum satis me tibi purget, quo quatuordecim menses ita uexati fuimus, ut nullam ex eo calamitatem non acceperimus. Nam ut primum Albertus Marchio ob loci opportunitatem suum exercitū Suinfordij collocasset, tunc eius hostes, qui plurimi erant, urbem obsidere ac eam oppugnare coeperunt, murosq; ab imparte suis tormentis dies noctesq; pulsare, cum nihilominus etiam intra muros nos à militibus Marchionis multis afficeremur iniurijs, neq; quisquam domi suæ satis tutus esset: præterea quoties non dissoluebatur eis pecunia quæ debebatur tanquam à nobis accersiti aut conducti essent, omnia se ciuibus abripere uelle interminabantur: eratq; urbs tot iam milites alendo penitus exhausta, quorum etiam contagione morbus adeo grauis fermè omnes ciues inuasit, ut ex dolore pleriq; mentis errore afficerentur, ex eoq; morbo dimidiam urbis partem mors consecuta fuit: quo etiam morbo affectus fuit mei amantissimus maritus, ita ut uitæ eius nulla spes ostenderetur, quem Deus mei afflictissimæ misertus, nulla adhibita medicina, nihil enim in oppido medicamentorum erat, sanauit. Sed ut ille ait, exitus alterius mal, igradus est futuri: morbo illo à deo depul-

b



So mox à maiore hostium copia obsessi fuimus, qui ignem
 dies noctesq; in urbem conijciebant: sæpe noctibus totum
 oppidum conflagratum iri putasses, atq; illo tempore sem-
 per in cella uinaria latitare coacti fuimus. Tandem uerò
 cum huius belli felicem exitum expectarem abitu Mar-
 chionis, qui suum exercitum nocte aliò abducturus erat, in
 maximam incidimus miseriam: nam uix dum urbe egres-
 sus erat ille cum suo exercitu, cum postridie Episcoporum
 & Norinbergensium milites in urbem inuaserunt, ac
 eam compilatam incenderunt; Deus uero nos è medijs flam-
 mis eripuit, cum unus etiam ex hostibus nos admonuisset,
 ut ex urbe exiremus priusquam ab omni parte arderet,
 mox enim eam prorsus comburendam fore: cui parentes
 exiimus spoliati & nudati omnibus, ita ut ne ob olum qui-
 dem licuerit efferre: imò in medio foro nobis uestimenta
 detracta fuerunt, neq; mihi quicquam præter linteam tuni-
 cam relictum fuit quo corpus tegerem. Cum uerò ex urbe
 essemus egressi, capiebatur ab hostibus maritus meus, neq;
 eum, uel minimo redimere poteram, & cum eum abduci
 ab oculis uiderem, lachrymis & gemitibus ἀλαλήτοις
 deum comprecata fui, qui statim illum liberum ad me remi-
 sit. Cæterum digressi iam ab urbe, quò nos conferre posse-
 mus ignorabamus: tandem Hamelburgum uersus iter habe-
 re cœpimus, quò ego uix perreptaui. abest enim oppidu-
 lum tria milliaria Germanica à Suinfordio, inuitiq; ciues il-
 lius oppidi nos recipiebant, cum esset eis interdictum ne
 quenquam nostrum hospitio acciperent: Ego autem inter
 pauperculas uidebar omnium mendicarum esse regina. In
 illud oppidum introij, nudis pedibus, capillis passis, ueste
 concisa

conciſa, quæ ne ipſa quidem erat mea, ſed à quadam mu-
 liere mutuo mihi data: & ex illa itineris defatigatione,
 tandem etiam in febrim incidi, quam deinceps in tota pe-
 regrinatione habui: nam cum Hamelburgenſes ſibi metue-
 rent, non integrum erat nobis diu apud illos commorari,
 ſed intra quatrīdium illinc (quamuis ego ægrotarem) diſce-
 dendum fuit. Ibi uerò denuo dum per quoddam oppidulum
 Episcopi iter facere cogebamur, capiebatur maritus meus
 ab Episcopi præfecto, qui ſibi à domino ſuo clementiſſimo
 mandatum eſſe aiebat, ut interficeret omnes qui è Suinfor-
 dio illuc profugi ueniſſent. Ibi igitur captiui inter ſpenā
 metumq; detinebamur, donec literis ſcriptis ab Episcopo di-
 mitteremur: atq; tum demum Deus nos reſpicere incipie-
 bat, & primū quidem perduxit ad nobiliſſimum Comi-
 tem Rineceſem, deinde ad illuſtres Comites Erbacenſes, qui
 propter Chriſtianam religionem ſæpe fortunarum & ca-
 pitis periculum neglexerunt, à quibus prolixè accepti fui-
 mus, & multis muneribus affecti, etiam complures dies a-
 pud illos commorati ſumus, donec ego meliuſcula eſſem, &
 maritus meus in collegium Academiae Haidelbergenſis co-
 optaretur, ubi publicè artem medicam profitebitur. habes
 noſtrarum ærumnarum epitomen, aliàs plura. De libellis
 multum te amo: mihi gratiſſimi fuere. Sed unà cum noſtris

libris ut cætera omnia quæ habebamus perie-

runt. S. P. dices uxori & liberis.

Heidelbergæ. VIII.

cal. Aug.

b z

OLYM.

OLYMPIA MORATA GRVNTHLERAE
CAELIO S. CVRIONI S. D.



V P Erioribus diebus bene longam ad te scripsi epistolam, in qua de nostris calamitatibus te certiozem feci: idcirco iam Laconismo utar, tantum te maiorem in modum rogans, ut illis libris quos isthinc ad nos transportari cupimus, commentaria in Hieremiae & psalmus cuiusdam nostrae aetatis docti uiri adiungas. gratissimum mihi. facies. Vale.

C. S. C. OLYMPIAE MORATAE
GRVNTHLERAE PER CHRIS-
TVM DOMINVM S. D.



IMIS iustā, Olympia charissima, meis literis non respondendi excusationem habuisti: quae quidem, si citra improbitate dici potest, te carere maluissem. Sed quid agas? Sic uisum superis, ut ait ille, ignotis quidem nobis de causis: Deo uero ipsi non ignotis. nostrum igitur iudicium diuino iudicio submittamus: atque eius occulta, iusta tamen, consilia ueneremur. In tua epistola seueritatis diuinae exempla, simul et clementiae mihi praecleara proposuisti. Seueritatis in patria illa uestra euertenda: clementiae autem et misericordiae in uobis ex flammis ereptis, ac per tot, tamque immania pericula conseruatis. Non dubito quin cum alias, tum uero eo maxime tempore quae in religioso animo sit fidei uis, quanta

quanta diuinae prouidentiae senseris: quae periclitantibus
 & laborantibus nusquam praesto non est: praesertim cum
 Deus ille pater Iesu Christi, nosterque tui afflictissimae miser
 tus, optimum tuique amantissimum in maritum letali morbo af
 fectum, nullis adhibitis medicis sanitati restituit: cum eun
 dem tuis gemitibus ineffabilibus, ut scribis, *ναὶ ἀδελφὸν ἡμεῶν*,
 bis ab hostibus captum condonauit: cum ad optimos &
 pios illos Heroas duxit, à quibus uestra calamitas nonihil
 subleuaretur: ac denique cum in collegium Heidelbergensis
 scholae ad Medicorum libros explicandos uir doctissimus
 maritus tuus à sapientissimo principe Palatino, accersitus,
 cooptaretur. At spoliati & nudati omnibus bonis uix in
 cendium euasistis, non ita est. omnia enim uestra uobiscum
 tuoque coniuxque tuus, haud secus atque Bias ille Prieneus, ex
 tulistis, ingenium, eruditionem, sapientiam, innocentiam,
 pietatem, fidem, ceteraque quae uerè bona numerantur. Lu
 dibria uerò non uestra, sed Fortunae bona reliquistis: quae
 uix digna sunt, quae in bonorum numerum ueniant, ea ho
 stis rapuit: quae si uestra fuissent, à uobis auferre nunquam
 potuisset. Quae cum ita se habeant, uobis incolumibus mihi
 minus: dolendum putauit idem uobis censeo faciendum,
 Deoque seruatori gratias agendas, ut quemadmodum pares
 fuistis in calamitatibus ac periculis, sic pares sitis in hac
 grati animi pietate. De libris scripsi ad uirum tuum quae o
 pus erant. Madaui Typographis nostris, ut meo nomine ad
 te quem petis Homerus, cum aliquot nostris libellis Fran
 cofordia dono mitteretur. Commentaria in Hieremie
 & *Ἡερακλῆος*, si Francofordiae inuenientur, curauit ut habeas: ui
 deo enim te lectum maritae patriae meditari. Age Sophocle

Commendatio
Studij

um aliquod opus fac extet, ut tibi lauream, quam iam dudum merita es, imponamus. Qui tibi hasce literas redidit Io. Heroldus appellatur, is tui uidendi studiosissimus, petiuit à me sibi meis literis amicitiae tuae fores aperirem, ut liceret sacram Vatem uenerari. Quæso te ut sic illum accipias, efficiasq; ut intelligat se non solum uestræ isthic humanitati, sed etiam meæ commendationi aliquid debere. De Aemilio fratre cupio aliquid nosse, & si quid de matre & sororibus habes. Vxor mea cum liberis quos tu saluere iussisti, te tuumq; resalutant, ex animo uobis omnia ampla & honorifica cupiunt. Vale mea Olympia & uiue Italiæ nostræ decus. Basileæ. Cal. Septemb. M D. L IIII.

OLYMPIA M. GRVNTHLERA CAE-
LIO S, CVRIONI S. P. D.



E tibi sit mirum eruditissime Cœli, cur iam diu nullas ad te miserim literas. morbus. n. me impediuit: cuius quanta uis fuerit ex hoc coniecturam facere poteris, quòd postero die me sensibus orbauit. omni tibi asseueratione affirmo me à deo ab inferis excitatam fuisse *ναὶ δὲ ἐγὼ γ' ἐφάμην ἔ-
νας ναὶ δὴ μ' αἰδῶ ἡματι τῶν ὀψέδαι*. Nunc uerò ex-
tam, graui ac mortifero morbo recreata, nam nondum pla-
nè me confirmaui, nihil mihi prius faciendum putauì quàm
hisce meis literulis apud animum tuum testatum relinque-
re, nos grauiter molesteq; ferre, quòd tibi pro beneficio ne-
quaquam parem gratiam referre possumus. hoc ipsum no-
stro Io. Heroldo dicas uelim, illiq; ac doctissimis humanis-
simisq;

51

simisq; uiris Isingrinio, Oporino, Heruagio, Frobenio, & Episcopio nostro nomine gratias ingentes agas, qui nos tot luculentis scriptoribus donarunt: nostram tantorum meritorum memoriam nulla unquam delebit obliuio. Hic multi male sibi timent propter pestilentiam, & ornant fugam, paucos tamen illa haecenus è medio sustulit: nos uerò nusquam pedem: sed Deo nos totos commendabimus, atq; trademus. Maritus meus tibi S. P. adscribi iussit. Saluta uxorem tuam ac liberos. Cura ut ualeas. Hedelbergæ. Cal. Decembr.]

OLYMPIA MORATA GRVNTHE
RA CAELIO S. CVRIONI IN
CHRISTO S. P. D.



BTSI adhuc male me habeam, tamen occasionem tantam naeta ad te doctissime Cæli scribendi, in hoc meæ ualetudini parcere nolui, sed te istis literulis salutare uolui. Posteaquam enim de nostro Heroldo te quoq; egrotare audiui, mirum in modum de tua ualetudine sollicita sum. Quapropter te oro ut hanc meam alleues sollicitudinem; id autē fiet, si te conualuisse ad me scribes. Me uerò scito in dies magis, magisq; ui morbi consumi, neq; fermè ullam horam feбри carere. Sic corripimur à domino, ne cum hoc mundo pereamus. Si in re aliqua huic pio uiro qui has tibi reddet, gratificari poteris, quæso ut id facias. Vale in Christo optime Cæli. Salutat te maritus meus. Salutem dic meis uerbis tuæ familiæ,

Et D. Bernardino Ocello, quem in Christo ualde diligo
 Et Heroldo. Hedelbergæ. nonis Iulij.

C. S. CVRIO OLYMP: M. G. PER
 CHRISTVM IESVM S. P. D.

BINAS à te Olympia mihi filie loco Cha-
 rissima diuersis temporih. Et scriptas Et red-
 ditas accepi. Quòd prioribus mandasti, ut
 tuo nomine Typographis nostris gratias de
 ipsorum erga te liberalitate agerem, id à me curabitur di-
 ligenter. imò tu ipsa efficacissimè ages: nam coram tuis le-
 ctis literis, eisdemq; conspectis, manum, elegantiam, uim in
 tuis literis te spirare Et loqui uidebunt. Quòd autem gra-
 uissimo impedita morbo, ad me scribere non potuisti, uehe-
 menter dolui. Nam cum eodem tempore ipse quoq; a gro-
 tare, quod quidem per multos dies feci, mihi de tua ad-
 uersa ualetudine nuntio, duplicatus est morbus. Neq; satis
 erat me duplici telo petitum, nisi Et tertium accederet:
 quod duobus illis prioribus iam debilitatum me penè con-
 fecit, Et prostrauit. Mea enim filia Violanthis, quæ Ar-
 gentorati cum suo marito est, ex tristissimo abortu in tan-
 tam incidit calamitatem, ut iam septem totos menses cum
 morte conflitetur: sed tamen à paucis diebus uidetur pau-
 lulum respirare: Et spero dei clementia conualituram,
 ut Et ipse conualui. Quòd si tu quoq; mea, imò nostri se-
 culi lux, reualuisti, iam mihi pristina omnia restituta ar-
 bitror. Nam literis quas nonis Iulij Gallo illi homini
 bono ad me dedisti, febrim te nondum reliquisse accepi,
 quod

quod mihi molestissimum fuit. Sed illud tu uerè mea
 Olympia, atq; pietati isti tuæ conuenienter, nos hîc à Do
 mino castigari, ne cum mundo damnemur, ut beatus Paulus
 scribit. Luſtemur igitur, & constanter, quicquid acciderit,
 feramus, certi nihil casu, nihil temere nobis, sed diuino con
 silio, atq; adeo nostro bono omnia euenire. Meam uxo
 rem, meosq; liberos, qui te omnes amant, tuo nomine saluta
 ui: Itemq; Bernardinum Ocellum, senem doctissimum &
 sanctissimum, & Heroldum, imò etiam alios quosdam,
 atq; in primis Bonifacium Amerbachium Iuris consultissi
 mū atq; optimum uirum, cui cuperem te scribere. Est enim
 is unus, qui uehementer, ut hîc apud nos esse possētis, labo
 rauit: uir ab humanitate, pietate, doctrina atq; ab omni
 laude prædicandus. Fac igitur: nam tuas literas & admira
 tur, & exosculatur, quas omnes cum eo communico. Ex
 nundinis Francfordianis nostros quosdam libellos accipies
 quos ubi perlegeris, si tamen meas uigilias legere per
 morbum uacabit, quid sentias perscribes: idem faciet do
 ctor Andreas tuus, quem uincè propter eius eruditionem
 & pietatem diligo. De fratre quoq; tuo mihi scribas
 uelim quid agat: discat ne, & patrem, teq; imitari uelit:
 quos ambos nostro nomine salutabis: itemq; alios uestros.
 Vale mea Olympia charis: Valetudinem tuam cura di
 ligenter, ut diutius nostram ætatem ornes. Nos quidem isti
 te ciuitati inuidemus. Mitte si quid adornatum habes ut
 hîc edamus, præsertim tua carmina. Et cum ad me rescrip
 seris, etiam huius meæ epistolæ exemplum descriptum ab
 aliquo mitte: nam mihi describendi tempus non fuit, &
 aliqua de causa seruari cupio. Iterum Vale & uue in

domino Iesu Christo, cui es tota dicata : Basileæ 7. cal.
Sept. M. D L V. 7.

IOAN. SINAPIVS SELECTISSIMAE
MATRONAE OLYMPIAE, MO-
RATAE S. P. D.



Ab excidio patriæ planè sperabam uos ad me
uenturos, & ita Theodoram meam, quæ to-
to huius obsidionis tempore magnam studio-
rum suorum iacturam fecit, rursus te magi-
stra usuram. Sed quantum ex Conrado fra-
tre meo intellexi, commodo uehiculo atq; uiatico uobis Co-
mes à Rineck non minus pietate quàm genere illustris in
tempore subuenit: & locus uobis Heidelbergæ, quò iam
olim uocati fuistis, non deerit, ut D. Hartmannus Palatini
iam apud nos legatus retulit: cui has ad te perferendas de-
di. Utinam uerò rebus uestris adhuc integris anno superio-
re mihi Heidelbergam uobis diligenter commendanti par-
ruissetis. Sed quis unquã tam atrox innocētis & alioqui sa-
tis afflictæ ciuitatis exitium tam repentè, metuisset? O mi-
serabile patriæ fatū, ô miseros, exules & extorres ciues.
ἀνεπίουσι καὶ ἀπεπίσσοι. Verè Homerus Odysf. ο. canit
πλᾶγυιτοσύνησ δὲ οὐκ ἐστὶν ἀνώτερον ἀλλο βροτοῖσι. Sed so-
labitur nos alterius, & ueræ patriæ spes: & quòd scimus
nobis mundum hunc non pro domicilio sed tantum pro di-
uersorio concessū esse: & quòd rependet Deus hanc calami-
tatē uberiore aliqua benignitate sua. Atq; hæc hæctenus.
Ex Italia literis nuper, admodum & recentes accepi,
ut-

37

utpote cal. Iunij datas, inter quas, hæ ad te pertinent, Quæ
an de aula statu certiozem te faciant ignoro. Mihi scribi-
tur omnia illic malis & periculis esse plena. Ita Deus u-
biq; suos cruce probat. Quorum sortem considerantes, no-
stram mitius feremus. Bene uale cum fidissimo consorte,
& de rerum uestrarum successu mox latiore futuro me
certiozem facite: & qua in re uobis gratificari possim.
Datum Vuirzeburgi 28 die Iunij 1554. Quo die an-
nus exactus est à funere dulcissimæ quondam coniungis
meæ. Salutant uos qui mecum sunt Conradus, Osualdus,
Theodora, Leonora, Brigida, Margaretha, Et Anna Schlof-
serin cum filiabus. Vos uicissim meo nomine salutabitis
Hubertum eiusq; generum D. Amdeam Gotualtum, cu-
ius frater Matthæus heri apud me hic adsuit. Iterum
ualete.

IOAN. SINAPIVS MEDICVS, AN-
DREAE GRVNTHERO ME-
DICO S. P. D.

ETSI nondum mihi constat Andrea doctiss.
uos Heidelbergam peruenisse: Et frater
meus ad me XIII cal. Sextil. scripsit è Spi-
ra nihil dum sibi de aduentu uestro comper-
tum esse: tamen quia spero quod opto, quodq; D. Hartmã-
nus ratum habuit, dedi per eundem D. Hartmannum Hei-
delbergam nuper IIII nonis, Iul. literas ad nostram O-
lympiam, quibus inclusi quas ex Italia Canonici quidam
nostrates attulerunt, atq; nunc hasce do, per Magistrum
Vitum

Vitū Grunbach, unā cum Vitis seu paralelis Plutarchi, ut
 Vitus uitas exanimatis restituat: sit uenia uerbo. Nā Cor
 datiores sapientioresq; uos esse certò scio: quā quos ul
 la, quanquā maxima uel damna uel pericula terreant,
 nedum exanimant: imò, si fractus illaberetur orbis, Impau
 dos uos ferirent ruinae. Quid enim habemus quod non ac
 cepimus? aut quid in hunc mundum cum nasceremur intu
 limus? Et mirumne, si Dominus qui dedit, repetat quod
 suum est? Sinite dolere illos qui consilium cum re amise
 runt. Vester thesaurus in cœlis est, quem neque fures effo
 dere, neque ignis comburere potuit: Et bona uestra (ut sa
 piens ille) uobiscum quocunque proficiscimini defertis, pie
 tatem, doctrinam, famam, omnesque bonas uirtutes, ac
 bonas literas. Sed quorsum ego, pisces natate doceo, aut
 in syluam ligna fero? Ad Plutarchum redeo. Significatum
 mihi fuit superioribus diebus epitaphia Suinfordi, à moni
 mentis & muris refixa fuisse, & eorum aliqua huc clancu
 lum perlata. inter quæ dum mei patris epitaphium quæ
 siui (quod quidem inueni & recuperaui) comperi librum
 quoque uenditum esse Suinfordianum. Perquisiui statim à
 quo, cui, & quem, & quanti: hasque uitas Plutarchi rep
 peri, quibus à tergo in ultima pagina nomen Olympiæ
 uidens inscriptum & Pauli Syluæ (fortasse Magnoli Bri
 xij) euestigio precium renumeravi: eumq; tanquā captiuū
 mancipium à Pyratis redemptum ad uos remitto. Diligen
 ter autem perscrutatus sum, siquid amplius uel uestium
 uel librorum adesset, precium, & ultra precium, præmi
 um offerens: sed nihil, inueni gratificaturus uobis libentissi
 me, si qua ratione tam ingens damnum uestrum aliqua
 ex

ex parte saltem resarcire possem. Acerbissimè enim tantam cladem, & uestra & meorum ex sorore nepotum, & mea ipsius causa, tum propter patriam, tum propter rem priuatam sero. Atq; utinam Olympia nostra innocentissimæ ciuitatis miserta, eam & suam ipsius calamitatem stilo, quando maior uindicta Deo reliquenda est, uindicare dignaretur. Ego certè ut maximè uelim nō possum adeo distrahor uarijs curis & ærumnis. & iā pridē propter ingrauescentē ætatem nō solū rerum eiusmodi, & elegorū, & threnorum sed mei ipsius pertæsum est: adeo ut præ animi lassitudine me pigeat etiam filiolam docere, quæ tam feliciter apud Olympiam fundamenta grammatices iecit, & quam latinè discere mater præ omnibus rebus maximo-pere, moribunda etiam, desyderauit. Sanè quidem semper animus mihi fuit si Suinfordiana solueretur obsidio, remittere illam ad uos, ut intermissa studia redintegraret. Sed heu incerta & uana hominum, & cæca consilia. Non tamen animum despondeo, si Heidelbergæ pedem figitis quin eò quoq; (si gratiam hanc à uobis obtinere possim) cum tēpore eam transmittam. Redijt quidem Suinfordū Ianus Cremerus, & omnem suam operam restaurandis adolescentiæ studijs offert: Cuius uxor & filius aliquot diebus hospites mei fuerunt: atque ante paucos dies domum remigrarunt unà cum D. Ioanne Bellerman affine suo. Superest enim domuncula quedam in quam ius habent propter tutelam quorundam pupillorum, in qua deliberant hybernare. Sed uereor ne tantum commoditatis habituri sint, ut filiam meam ad se possint recipere. Taceo quòd haud credam super hoc fundamento quod iactum est pari dextertate

tate

tate quæqua qua Olympiã edificare posse. Ad hæc pleriq; amici auctores mihi sunt ut eam à me in aulam aliquam hinc ablegem. Quod ubi nam commodius fieret, quàm Heidelbergæ, ubi & in aula, & apud primam & consuetam Magistram esset? Sin hæretis adhuc aut diutius hærebitis in Furstenau, spero per singularem patronum meum D. Daniele Stibarum, ibi quoq; locum ei posse impetrari. Vehementer autem rogo ut de rerum uestrarum statu non solum qui fuit, sed qui nunc est, & quem speratis, me certiorrem faciatis. Adfuit ante quatrimum apud me quidam tabellarius Basiliensis, per quem ad Michaelem Isingrinium bibliopolam Basileæ singularem amicum meum scripsi de excidio Suinfordiano, & quàm immisericorditer ciues nostri tractati sint. Addidi non nihil de uobis quoq; ut ea Domino Cælio Secundo, uestri amantissimo & uicino atq; beneuolo suo communicaret: ut si quid consolationis habeat, ut uir pius est, & optimè affectus erga Olympiam, Heidelbergam ad uos scribat, literasq; Spiram ad D. Chilianum fratrem meum mittat. Salutant uos Conradus frater meus & filia Theodora, et Brigida neptis, & Leonora docens ambas interim acu pingere. Salutatur etiam Licentius Faius Monachus Banzensis olim, nunc apud Comitissam ab Holech magister Curie. Bene ualete cum Aemilio uestro amicisq; omnibus. Et si peruenistis Heidelbergam salutate uerbis meis officiosissimè dominum Hupertum D. Andrea Gotualdi socerum, uestri haud dubiè amatissimum, & clariss. D. Hartmannum. Vuirzeburgi VIII. Calen. Sextil. MDLIII. Theodora nondum surrexit quum hæc scriberem cum prima luce, alioqui suas quoq;

quoq; literulas addidisset, additura posthac ubi rescie-
rimus certiora de uobis.

OLYMPIA FVLVIA GRVNVNTHLERA
CHILIANO SINAPIO. I. C. S. D.



Nihil ad tuas literas rescripsimus, quo-
niam puerum nostrum qui ad uos, ut mala
medica istinc asportaret profectus erat, tibi
indicasse putabamus ut ei diligenter
mandatum erat, nos illi tuo affini de quo
scribis nullam opem afferre posse: cum non mediocriter la-
borauerimus, ut alteri ex istis quos iam tot menses alui-
mus hic, prospici posset: sed nihil effecimus. Adhuc Andreas
Campanus urget, ut suum nepotem ad nos recipiamus. Me-
hi crede, si omnes Suinfordenses iuuare possemus, nihil no-
bis gratius neq; iucundius esset. etiam Andreas Rosius ludē
Magister, se uitam in summa egestate degere ad nos scrip-
sit, uelletq; hic suam operam in erudiendis pueris nauare:
at pestilentia obstat. Tu si quid potes (otes autem plus
quam nos) succurre illis miseris, & omni cogitatione cu-
raq; tu & Gotualdus ad adiuuandum patriam uestram
incumbite: nos quantum in nobis situm est cōtendimus. Ex
literis quas proximè ex Italia accepi, Ferrariæ, crudeliter
in Christianos animaduerti, intellexi, nec summis, nec infi-
mis parci: alios uinciri, alios pelli, alios fuga sibi consulere.
Tu si quid de fratre, ut sciam cura. Maritus meus te salutat.
S. D. tuæ uxori & D. Andreæ Gotualdo, Heidelbergæ
VII. cal. Febr.

OLYM

OLYMPIA FVLVIA MORATA GRVN
 THLERA. ILLVSTRISSIMAE LA-
 VINIAE RVVERENSI VRSINAE
 IN CHRISTO IESV D.
 NOSTRO S. P. D.



ATIS demirari nō possem illustriss. Lauī
 nia, quare nullas ad me literas præter unas
 tātūm Ferraria discedens dederis, nisi pesti-
 ferum illud bellum, quo tam diu uexati fui-
 mus te excusare uideretur. Non libet .n.
 de tua erga me beneuolentia aliquid suspicari, quam pa-
 rem & mutuam esse confido. Equidem sæpissimè ad te
 scripsi, & misi dialogum à me compositum, libellosq;
 aliorum doctorum hominum, sed nullam unquam abs te
 epistolam elicere potui: cognoui tamen ex meis, te istic
 esse, ad quos scripsi ut de te me certiore facerent. Quā
 obrem à te etiam atq; etiam pro nostra summa necessitu-
 dine maiorem in modum peto atque contendo, ut me iam
 fermè totum triennium mirifice de te sollicitam aliqua tua
 epistola leues: quod iam facilius fieri posse credo, cum si-
 mus in loco celebriori, quàm antea: quò non uenissimus nè
 si maxima illa calamitas, quā ex bello accepimus, nos im-
 pulisset: quæ quāta fuerit, & quid p̄pessi simus, ex meis lit-
 teris ad D. Celium datis intelliges. Non .n. necesse esse
 putauī de eadem in hisce literis ad te scribere, cum omnia
 planè ex illis cognoscere posses, simulq; perspicere mise-
 riarū te multos habere socios. Mihi crede nullus est, modò

in

In Christo piè uitam agere uelit, qui non acerbissimos do-
 lores calamitatesq; hauriat. Nos sæpe peregrinari cogi-
 mur: sed tamen nusquam diabolum & mundum effugere
 possumus: imò, quod ille inquit: Neq; decedit ærat atriremã
 & post equitem sedet atra cura: Ita nos domesticos hostes
 ueterem Adamum & peccatum semper nobiscũ uehimus.
 Proinde nullo temporis puncto intermisso Deum compre-
 cari oportet, ne in tantis malis frangamur; alioqui si lan-
 guori desidiæq; nos dederimus, cum nobis tot bella sint ge-
 renda facilè succumbemus: & ita in perpetuum peribi-
 mus. Quod tibi etiam cauendum est, magnaq; tibi in sacras
 literas diligentia conferenda: & sæpe orandus deus, ne mul-
 titudinem impiorum, quorum omnia plena, imiteris. Sed
 uerbum dei sit tibi dux rectè & piè uiuendi, & lucerna
 pedibus tuis. Sic. n. non impinges: In primisq; da operam, ut
 plus illum deum omnium rerum præpotentem, qui corpus
 animamq; simul in gehennam conijcere potest, quam ho-
 munciones extimescas, quorum uita umbra, fœno. flori su-
 mo in diuinis literis comparari solet. Fac animo magno for-
 tiq; sis, omnia breuia etiam si magna sint, tolerabilia esse
 debēt. Hic omnia bello ardēt, & ubiq; multis ærumnis pre-
 muntur sancti uiri: etiam ex Anglia multi sunt fugati: ita
 sæuit diabolus. Hæc uerò omnia magnæ nobis lætitiæ esse
 debent, cum portendere sciamus illum faustum & felicem
 diem breui fore, quo unã beatissimam uitam agere incipie-
 mus. Interim nos literis salutabimus, & animo cernemus.
 Sororem meam sic tibi commendo, ut maiore studio eam
 commendare non possim: non ut illam locupletes, aut ad
 istos honores perducas: sed ut Christi scientia illustretur.

Citò præterit figura huius mundi. Vale in Christo. Meus m-
ritus & fraterculus P. S. tibi adscribunt. Heidel-
bergæ. Cal. Augusti.

OLYMPIA MORATA GRVNTHLE-
RA, VICTORIAE MORATAE SO-
RORI CHARISS. SVAE.
S. P. D.



CHARISSIMA Soror nos Dei erga
nos amore ex tanto patriæ maritæ nau-
fragio adhuc salui & incolumes sumus.
qua de re debes & tu Victoria soror Deo
Opt. Max. gratias agere, qui nos è flam-
ma atq; ferro ac penè ex faucibus fati ereptos, conserva-
uit. Quæ pericula, quas belli calamitates perpersi simus,
si tibi uellem exponere, non iam epistolam, sed uolumen
quantumuis magnum conficerem. Nam menses quatuorde-
cim totos in maximis angustijs obfessa urbe, atq; inter tor-
mentorum fulmina, noctes atq; dies uersati sumus. His, si
quoties uno tantum die moenia urbis pulsata fuerint libe-
ret enumerare, incredibile forsàn uideretur. Sed idcirco
urbem tam diu Deus incolumen esse uoluit, ut populum
ad frugem bonam reuocaret. Nam quamdiu obfessi fui-
mus, pauci ex nostris cecidere: fuitq; urbs non sanè magna
neq; ita munita, contra omnes hostium uires & machinas,
inuisa. Tandem uerò quum existimarem hostes (ut Cæ-
sar ipse atq; alij Imperij principes imperarant) abire, atq;
omnia esse pacata, ecce tibi repente, nec sine dolo, in urbem
irruere

Irriuerunt; eamq; prius tumultuose direptam, incende-
 runt. Hoc grauissimum uulnus in uisceribus suis accepit
 Germania alioqui felix, intestinis principum dissensionibus.
 In hac tanta trepidatione, & panico pauore, quum ma-
 ritus meus & ego iam iam in templum tanquam in Asy-
 dum nos recipere cogitaremus, miles quidam nobis ignotus
 accurrit: monetq;, illico extra urbem profugiamus. alioqui
 futurum ut iisdem cineribus cum incensa urbe sepeliatur.
 Et quidem si in templo fuisset uel sumus, nos, ut alios qui
 eo confugerant, extinxisset. Paruimus igitur monenti quis
 quis ille fuit: quod dum facimus, in milites incurrimus, qui
 nos dispoliant: à quibus etiam uir meus bis capitur: quod
 mihi omnium grauissimè accidit. qui si diutius detentus
 fuisset, et suam opem Deus distulisset (cito enim Deus eum
 mihi petenti condonauit) mihi doloris acerbitate erat om-
 nino moriendum. Aliarum omnium rerum iacturam (nihil
 enim mihi præter subuculam, quo corpus tegerem reli-
 ctum fuerat) facile ferebam: charissimi coniugis ferre nul-
 lo modo poteram. Sed Deus ille pater meos gemitus audi-
 uit: neq; solum tunc, uerum etiam postea. Eo namq; duce ad
 Comites quosdam (ut hodie uocant) deuenimus, oppidorum
 arciumq; dominos: a quibus honorificè accepti fuimus, ue-
 ste & alijs rebus necessarijs donati. Inter quos est unus cui-
 ius uxor clarissimi inter Germanos Ducis est filia, qui
 Palatini appellantur. Hac memiserè affectam, tanta cha-
 ritate pietateq; accepit, ut & ipsamet mihi decumbenti
 suis manibus ministraret. Quin & pallam egregiam dona-
 uit, plusquam mille sestertiūm nummūm aestimatam. Alius
 eiusdem nobilitatis uir, antea nobis ne nomine quidem

notus, dum in uia essemus, nobis argenti numerum non con-
 temnendum subsidio mittebat. Horum benignitate in tan-
 tis difficultatibus subleuati sumus: donec Heidelbergam,
 ubi nunc agimus, maritus meus ab Illustrissimo Principe Pa-
 latino Imperij Septemuiro accitus est, ad medicinam publi-
 cè docendam: est enim una inter Germaniæ Academiæ
 non postrema. Quamquam hac calamitosa ac turbulenta
 tempestare, magis arma quam literæ quærantur. Episcopi
 magnum habent exercitum. alij non minorem. Itaq; omnia
 uastant, rapiunt, incendunt. In Anglia quoq; pij uehemen-
 ter affliguntur. Audio Bernardinum Ocellum Senensem ui-
 rum sincerè christianum Geneuam profugisse. Adeo ubiq;
 > ferenda crux est ei qui uelit esse christianus. Equidem sic
 pati malo & cum Christo, quàm totum orbem terræ sine
 Christo possidere. Nec eo amplius cupio: etiam si non sim
 > nescia, quæ adhuc perpeffi sumus, non fore postrema. alia
 > præterea multa si uixerimus, nobis perpetienda restant:
 ac ne nunc quidem expertes malorum sumus. Vnum oro,
 mihi Deus fidem & constantiam in finem usq; largiatur:
 quod & eum facturum esse confido: promisit enim se meas
 preces, quoties eum orauero, auditurum. Ego autem assi-
 duè coram eo meam animam effundo: nec id frustra. sentio
 enim me sic roborari, & obfirmari, ut eius aduersarijs, quo-
 rum plena sunt omnia, ne latum quidem pilum in causa
 religionis cesserim: sed nec cum Epicureis, qui Euangelij
 sanctissimum nomen suis cupiditatibus prætexunt, ulla in
 re consentio. Itaq; uides chara soror, hostes nusquam abesse
 mundum, Satanam, & carnem, ut eos consecratis nomini-
 bus appellem. Verùm enim multo præstat in hac breuissima
 uita

vita cum Dei ecclesia malis affici, quam sempiternis hor-
 roribus cum aduersarijs adiudicari, ubi, in æternam clau-
 duntur lumina noctem. Quare, te etiam atq; etiam oro
 mea soror tuæ salutis rationem habeas: plusq; eum qui u-
 uerbo omnia creauit, qui te genuit, qui seruauit, totq;
 beneficijs cumulauit metuas, quam terræ quædam inutilia
 pondera, quam huius mundi speciem, quantumuis minitan-
 tem aut etiam arridentem & blandientem. Nam, quæ cer-
 nis omnia, quid sunt quam tenuis quidam uapor, aut fumus
 euanesceus: aut stipula sceminuæ igni mox absumenda?
 Quod si te infirmam sentis in hac quæ in cælum ducit uia,
 infirmitatem excuses caue. nam morbi excusatio, morbum
 auget: estq; Deo ingrata. Hanc ob rem Dauid orat psalmo
 141. ne Deus eò sinat animum suum deflectere, ut pecca-
 tis suis aliquam prætexat excusationem. Quid igitur? Mor-
 bum tuum Domino, uero medico, confitere: eum roga tibi
 medicinam adhibeat: uires adiungat, perficiatq; ut eum ma-
 gis quam homines & ames, & metuas. Nam idcirco toties
 in psalmis nostræ fortitudinis Deus appellatur, quòd nos
 roboret, fortesq; faciat, modò nos agnoscamus, & ab eo
 petamus. Vult enim continenter orari, ut exoretur. Cer-
 tum habe illum tuas preces audire, & uelle quod petis, &
 supra quam petis efficere, ut est largus & benignus, erga
 omnes qui ipsum ex animo quærunt. Vide autem mea so-
 ror, ne sprete Euangelij uoce dicas: Si quidem una ex dele-
 ctis atq; ad salutem designatis ero, perire non potero. Hoc
 namq; esset Deum tentare, qui per Euangelij obedi-
 tiam & preces quasi medijs nos uult salutem adipisci. Et
 si enim certa est electio, rataq; designatorum salus, quam

qui Christi sunt in interiore homine sentiunt, tamen ea noⁿ
 est absq; Christo, atque ijs quæ Christianam profession^{em}
 exornant. Fides, inquit Paulus, ex auditu: auditus au^{tem}
 per Dei Sermonem. Idem quoq; in Epistola ad Galat. scri-
 bit, & in Actis Apostolorum re ipsa ostenditur, eos spiriti
 sancto donatos esse, qui Euangelij uocem auscultassent. Al-
 lud etiam ne unquam tibi excidat, quod & Paulus & Iaco-
 bus ait: Eam Christo Domino probari fidem, non quæ ocio-
 sa & ignaua sit, sed quæ per charitatem sit actiuosa, & ui-
 ua. Quòd si copiam audiendi non habes, nulla dies tamē a-
 beat sine sacrarum literarum lectione & precatione, ut
 Deus mentem tuam illustret ad ea intelligenda & haurien-
 da, quæ ad bene beateq; uiuendum conducant. Sin etiam
 ab Heræ tuæ officijs parum temporis superest, manè ali-
 quanto temporius cubitu surge: uesperis, serius cubitum
 ito: atq; ita clauso cubiculo tuo, quæ tuæ salutis, sint pera-
 ge. Iubet enim Dominus ante omnia regnum & iustitiam
 eius queramus. His peractis, Domine operam dato eo ani-
 mo, & fide, ea reuerentia, eoq; honore, quæ Christianam
 atq; ingenuam puellam deceant. Heræ tuæ Lauiniæ dici-
 to, ut & ipsa suarum ægritudinum & angorum à christia-
 na philosophia leuamen petat, requiemq; curarum. Breuē
 in portum optatum recipiemur. Tempus æque in aduersis
 rebus, atq; in secundis uolat. Quod si longius uideatur,
 quod patitur, ac durius, cogitet se cum Christi ciuibus, i-
 mō cum Christo ipso pati. Nam & hæc clarissima scemina
 cuius supra mentionem feci, suam eamq; haud leuem cru-
 cem portat. & est nihilominus regali genere prognata: è
 quo & Cæsares aliquot extiterunt, ipsa tamen hac que ei
 obtigit,

47
obtigit, humiliori sorte contenta est. Hæc eadem in XIX
annis, unam uix diem, ab ægitudine immunem egit. Quin
et nunc iam complures dies adeo periculosè decumbit, ut
de eius uita uehementer ambigatur. Est autem mulier in
primis religiosa: semper de Deo deq; futura uita loquitur
magno cum desiderio et ardore. Sæpenumero hæc cum
marito in uita et fortunarum omnium discrimen uocati
sunt. O mea soror, cum Mose Psalmo XC precare: Doce
me Domine adhuc modum numerare et cogitare dies
meos, et illorum paucitatem semper ante oculos habere, ut
hac uani uita contempta, me optam sapientiæ et contem-
plationi rerum æternarum dedecem. Dominum, dum inue-
nitur quærito: eum continente orato: cum cibum sumis,
gratias agito: eius amori te totam tradito: uiam improbo-
rum ne imitator: te puram causamq; seruato, ut tandem
Victrix palmam comprehendas. Matronis istis ac puellis
quæ tecum sunt meo nomine plurimam salutem dicito. ad
Cherubinam ipsa literas dabo. Tu uero ad me epistolam
bene longam de omnibus rebus tuis scribito. Lauiniæ Domi-
ne tuæ (quam honoris causa nomino) mihi charissimæ lite-
ras summopere desidero: cuius suauitas et pietas nun-
quam mihi ex animo effluit. Ad eam aliquot libellos, ac præ-
sertim Cœlij nostri misi. num eos acceperit, num grati sint.
scire aueo. Maritus, et Aemilius frater te exosculan-
tur, et salutant. Vale et uince Victoria soror
suauissima. Heidelbergæ. VI. Idus
Augusti

OLYMPIA FVLVIA GRVN-
 THLERA ANDREAE CAM-
 PANO S. P. D.



EGO propter meam aduersam ualetudinem
 coacta fui nudius tertius coquã hinc conuice
 re qualemcunq; reperi, quæ singulis mensi-
 bus florenum poscit: hac lege etiam, ut pro se
 liceat sibi opus facere; adeò homines hinc nihil pudet. Qu-
 niam uerò necessitas est aurum telum, mensem unum hac
 mercede eam conduxì. Sed quia hos sumptus etiam si sa-
 trapes sim sufferrè non possem, ego uehementer te & D.
 parochum uestrum rogo, ut mihi interea temporis open-
 feratis, ut post hunc mensem de alia ancilla mihi prospe-
 ctum sit, siue anu quod egmalim, siue adolescentula. Ego
 matronæ quinq; florenos me daturam polliceor. Quæso in
 hac re operã uestram nobis nauate: memores nos dicetis et
 gratos. Puellulam de qua tecum collocuta fui, uir quidam
 statim tuum post discessum in cista ad nos gestauit: quæ e-
 tiam ipsa egrotat. Bene uale cum coniuge & familia. Salu-
 tat te maritus meus. te oro, ut meis uerbis uxori &
 parocho uestro. S. P. dicas: meq; ei purges,
 si non fuit à nobis, ut merebatur, acce-
 ptus: nam tunc febris me
 inuaserat.

AN

ANDREAS CAMPANVS. A MODE-
STISSIMAE ANECNON INSIGNI
ERVDITIONE PREDITAE
OLYMPIAE S. D.



ISISSEM iam cum Tabellario puellam,
meã, Olympia omniũ doctissima, nisi adeo
subito in morbum incidisset. nacla enim sub
axilla duo ulcera in hac septimana huius
generis antehac à me non uisa: adhec mater etiam mea iam
denuum desipere incepit, & uaria morborum genera
inuasere nepotes meos, ita ut ex omni parte mihi summẽ
laborandum sit. hac in re igitur & tam breui tempore, ut
res ipsa ex postulat, nõ possum mea opera tibi succurrere:
sum enim ipse spe frustratus mea. Quare ne fortassis ma-
gis idoneas hac spe freta dimitteres, uolui his literis quam
primum te certiozem facere. Opus est mihi commen-
tarijs super Epistolas Ciceronis ad Atticum, si essent uena-
les, ut mihi emerentur peto, sin minus, ut saltem mihi
quispiam ad paucos dies uel intra spatium hebdomadis co-
piam faceret, ego grato animo illas remitti cu-

rarem. Tu cum clariss. tuo marito terq;
quaterq; uale. Dat. pridie: calendas
Februarij Anno.

1555.

65



VOLFGANGVS RVPERTVS OLIM
MARCHIO NVNC PASTOR EC-
clesiæ Dei collectæ in Ehrnsfriddersdorff.

CLARISSIMAE OLYMPIAE MORA
tæ Grunthleræ pietate & probitate præstanti

G & P



DEO Deus humano generi & ogyæ
indidit, ut sint commonefactrices de in-
genti amore suo erga filium et erga nos,
& ut sint uincula societatis humana.
Vult igitur affici nos desiderio nostro-
rum, & in luctu pietatem probat.

Sunt autem in optimis naturis & ogyæ expressiores. Quare
non dubito te amisso affini tuo Magistro Cremero talè
presertim uiro, in quo non iam pietas tantum laudaba-
tur, sed qui etiam omni artium doctrina excultus erat,
& non solum natura ad uirtutem incitatus, sed etiam di-
uino spiritu regebatur, & iam in hoc studium ingres-
sus, ubi ingenium eius ad artium propagationem, & ad
Ecclesiæ conseruationem profuturum erat, magno in da-
lore esse. Quia in re non equidem accuso mollitiem ani-
mi tui, ac pietatem potius agnosco & probo, ac tecum
ipse ualde doleo, cum tua tum Reipub. causa: presertim
cum uideam, in hac paucitate rectè discentium, Ecclesiæ
defutura esse seminaria doctorum. Sed tamen pro sapientia
& eruditione tua scis utrunq; à Deo præcipi, & ut lugea-
mus & modus sit mœstitiæ. Ac primū statuamus, cum hos
euentus regi diuino consilio certum sit, flectendos esse ani-
mos ad obedientiam Deo debitam, ut etiam in duris rebus eī
blando

blandè obtemperemus. Porro grauiſſima ac ueriſſime
 cauſe merendi luctus hæ ſunt: Quòd ſcimus Deo pa-
 ren-um eſſe euocanti nos, aut noſtros: deinde quòd diſce-
 aimus ad conſuetudinem Chriſti & Eccleſiæ: quòdque
 poſt exiguũ interuallum iterum complectetur ſuos quiſque.
 Haſ cauſas cum cogitamus lenitur dolor. Sed alia quoque
 ſunt quæ luctum non quidem leniunt, ſed neſcio quomodo
 hebetant: uidelicet, præſentium miſeriarum conſpectus,
 diſſipatio Reipub. principum furores, qui quotidie cre-
 ſcunt. Hæc cum cogito tanta indignatione accendor, ut e-
 tiam cupiam ex hac uita diſcedere: & tamen oran-
 dus eſt Deus, ut ſeruet aliquos doctrine, & Eccleſia-
 rum miniſtros. Sed ſi quos euocat, ſi præripit pios impeden-
 tibus ærumnis, bene cum illis agi exiſtimemus. ſic & Eſaias
 inquit: A conſpectu mali colligitur iuſtus, diſcedit in pa-
 ce, & quieſcit in cubili ſuo. Hæc ſcripſi cum de tuo dolore
 cogitarẽ, ut illum aliquo modo lenirem: ac te rogo ut qua-
 lemcumque hanc conſolationem admittas: ac ignoſce quòd
 hæctenus nihil ad te literarum dederim, præſertim cum
 ante meum diſceſſum recepiffem me ſæpius ſcripturum.
 Deum æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti oro, ut
 te atque clariffimum Dominum doctorem maritum
 tuum unà cum fratre ſeruet. Bene uale ex ædi-

bus meis Ehrnfridersdorffij 25 Iunij

Anno à nato Chriſto

M. D. L. V.

AN-

ANDREAS ROSARIUS PIETATE
 & eruditione Clariss. Olympie. M. Gruntheræ.

S. P. D.



MT sera gratulatio, quamuis tua, Olympia
 casta, mulierumq; tum pietate tum sapientia
 decus, in me prima serè extiterit, reprehendi
 non solet: ita spero responsionem præsertim
 non negligentia, nec obliuione pristinae nostræ familiarita-
 tis, sed locorum interuallo & tabellariorum penuria inter-
 missam, non posse non à te probari. Ex ea enim animū in te
 meum, tuumq; maritum uirum clariss. & excellentissi-
 mum mihiq; amicissimum, locorum quidem spacio disiun-
 ctum, beneuolentia uerò quàm coniunctissimum, elucere
 duco. Quemadmodum uester in me animus ex proximis
 tuis literis duabus in rebus, hæspero clarior refulsit. Primò
 quidem in dolore & luctu miseriarum mearum ingenti,
 quem uos concepisse perspexi. Deinde etiam admonitione
 in consilio dando familiari, scilicet ut me totum literarum
 studio darem, quo munus à Deo assignatum eo melius admi-
 nistrare possem. Quod & si mihi aliàs faciundum propo-
 suissem, tamen si aliter cogitassem, certè diligens & amica
 tua admonitio repressisset, & me ad studia impulisset. Vos
 autè conceptum de me dolorem animo posthac excutiatis
 uelim. & me, qui nunc ex his fortune fluctibus aliquo mo-
 do emergo, meaq; studia adiuuare uelitis, hoc est, si quos
 psalmos græcis carminib. in quibus te operam, quam Suin-
 phordie in cœperas, nauare tuam & audio & credo uel
 si D. Andreas maritus tuus dilectiss. & mei amantiss.
 musicis

musicis numeris donauit, ad me uelim perscribatis. Hoc. n. gratius facere mihi nihil poteritis. Porro literas uestras uxori uel potius uiduae Ioānis Lindemanni, piæ memoriæ, nec non eiusdem filio misi, idq; ut pollicitus fuisssem, lubens, & si quid posthac uobis prodesse potero, me neq; opera nec labore defuturum polliceor. Vale

CAROLVS MOLINEVS L. C.

OLYMPIAE MORATAE

S. P. D.



DOCTISSIMA & christiana Domina, miraberis prima fronte hominem tibi penitus ignotum ad te scribere. sed hunc scrupum mox eximet inclusa scheda P. P. Vergerij quam ab eo in fine Iulij mensis Stucardiae ad te perferendam accepi. Iam enim ante menssem constitueram uenire Heidelbergam, cum alijs de causis, tum maxime ut te Foeminarum decus salutarem. Verum negotijs quibusdam impeditus, aliò iter deflectere cogor. Itaq; literas Vergerij meis inclusi; hacq; occasione audaciam accepi etiam ad te scribendi. Gratulor tibi cum uera pietate tantam quantum uidi literarum peritiam, graecis etiam carminibus, in media Italia à poetis nuper celebratam. Dominus te charissimumq; uirum tuum seruet, augeat, & bene semper prosperet. Vormatiae prid.

Idus Iulij. 1555.

OLIM-

OLYMPIA F. MORATA GRVNTHE

R. A. N. S. P. D.



AM pridem uir optime tuis literis rescrip-
 sissem nisi morbus grauis me impedisset,
 à quo ne nunc quidem sum liberata. Iam
 uerò diutius differre non potui. maximum e-
 nim desiderium me tenuit ad te scribendi ab eo tempore
 quo lectis tuis libellis tuum animum promptum atq; alacrè
 ad Ecclesiam iuuandam perspexi. in animum enim indu-
 xeram te ecclesiae causa facturum quod à te petissem.
 Pudor uerò me haecenus impediuit ut ne ad te scriberem:
 simulq; uerebar ne aliquam alijs suspicionem importa-
 rem me ostentandi, si prior te literis prouocassem. Nunc
 autem abs te mihi datam esse occasionem uehementer le-
 tata sum. Itaq; primùm ingentes tibi agam gratias pro tuis
 libellis quos mihi donasti: postea, à te id contendam, quod
 antea petere non fui ausa. Id autè est eiusmodi, ut cum tu
 toto pectore ad ecclesiam propagandam incumbas, illius
 causa etiam M. L. libellum qui Cathechismus maior inscri-
 bitur à Vincentio Opsopæo in linguam latinam conuer-
 sum, in Italicam transferas. Quanto emolumento nostris
 Italis, praesertim iuuentuti futurum id sit, ex ipso libro si
 diligèter peruolueris, cognosces. Qua propter, te, etiã atq;
 etiã rogo, perq; Christum obtestor, ut tuorum fratrum causa,
 pro quibus etiam mortem oppetere debemus, hunc labo-
 rem suscipere uelis. Porrò de sacramento magnam esse in-
 ter christianos controuersiam non ignoro, quæ facile iam
 dudum esset dirempta, si homines non suam, sed Christi
 gloriam,

gloriam, & ecclesiae salutem, quae concordia continetur, in consilium adhiberent. Itaque, ut eodem redeam, eum librum nostris hominibus magno usui fore existimo, si tu operam tuam illis in hac re nauare uoles. Quod ut facias tanto studio à te contendo, ut maiore non possim. De Ferrariensi causa, eadem quae tu scribis mense Decembri, ex cuiusdam pij uiri literis intelleximus. Neque id nobis qui illam intus & incute nouimus mirum uisum fuit. Magis quosdam alios à Christo defecisse miramur. Matrem uero meam constantem fuisse in illis turbis, Deo gratias agimus ei; totum acceptum referimus. Eam orauit ut ex illa Babylonia unà cum sororibus ad nos proficiscatur. Maritus meus gratias agit quòd ei tuum studium offers. Eius animus in te talis est, qualis esse debet. Vterque maximo te oramus opere, ut ne hoc tempus tibi oblatum nos inuisendi, praetermittas. exoptatus uenies. Vale.

OLYMPIA MORATA IO. INFAN
TIO BARRENSI. S. D.



Quoniam tuis uerbis Philotheus me salutare iussisset, perspecta tua humanitate facere non potui, quanquam morbus adhuc grauis est, quo tuum post discessum afficior, quin ad te scriberem. Libelli atque litera tua mihi gratissima fuere: pro quibus ingentes tibi ago gratias quod citius fecissem, nisi me ut iam dixi morbus impedisset. Fuerunt enim mihi in lecto iacenti tuae literae redditae, neque haecenus ex illa aduersa uoletudine emergere potui.

quid

quid de me fiet nescio: ego me totam Deo trado & comit-
to, cupioq; dissolui & esse cum Christo. plura nequeo: impe-
dit enim febris qua nullo temporis momento careo. Vale
ergo & Deum pro me comprecare. salutat te maritus
meus. Saluta illos Italos qui mihi in tuis literis salutem
adscripterunt.

ANDREAS GRVNTHLERVS C AE
LIO S. CVRIONI SVO
S. D.



MIDE, te quaeso Ornatissime mi celi, quàm
modis omnibus deus me affugat, cui post de-
letam patriam, erepta bona, extinctos ami-
cos & propinquos fermè omnes, tandem e-
tiam charissimam & dulcissimam uxorem abstulit: qua
sola adhuc superstite uidebar omnia cætera posse mode-
rate ferre. At uerò hæc me calamitas maxima tanquam
decumanus quidam fluctus alijs superueniens planè oppri-
mit, nec quo modo dolorem meum lenire possim inuenio.
Decessit illa quidem magna cum auiditate, atq; ut ita di-
cam, quasi alacritate quadam moriendi, cum persuasum
haberet se ex diuturnis cruciatibus, ex miserrimaq; hac ui-
ta ad perpetuam felicitatem hinc euocari. Verùm enim-
uero illa dulcissima iucundissimaq; simul actæ uitæ recor-
datio nescio quomodo consolationem nullam admittit. Vi-
xit illa quidem mecum non totum quinquennium: cete-
rum neq; animum magis syncerum & candidum, neq; mo-
res probiores sanctioresq; uidi unquam. Nam de singulari
tunc

tum pietate, tum eruditione quid etiam dicam? Non puto opus esse ut eam tibi laudem, uel quod iam ante tu illam per nosti, uel ne ego uidear mea uelle extollere. Qua propter hoc totum in uos transfero uiros doctissimos & humanissimos: nec dubito fore uestri gregis aliquos, qui funus illius aut carmine, aut oratione ornandum esse existimabunt. Addam ego his quoque meas lacrymas cum præ dolore potero. Est enim doloris genus quoddam, quale meum, hoc est summum, in quo ne lacrymæ quidem profundi possunt, quod scilicet animus maximarum rerum calamitate iam pridem lassus & confectus, ubi quid præterea accessit plus acerbitatis, tum etiam stupet. Itaque nunc quidem nihil possum. Interim uerò (quoniam hoc te arbitror cupere) quomodo illa uitam finierit, & si hercule uix possum, dicam tamen paucis. Iam igitur fermè moriens, cum è somno paulo antè experrecta esset, uisa est mihi nescio qua dulcedine leta, clanculum ridere. Accessi propius & quidnam tam suauiter rideret, interrogavi. Videbam, inquit illa modò in quiete locum quendam pulcherrima clarissimaq; luce refertum: cumq; plura præ imbecillitate proloqui non posset, Age, inquam ego, bono esto animo mea uxor: in illa pulcherrima luce tu habitabis. Subridens iterum annuit capite, & paulo post, tota, inquit, sum leta: nec plura deinceps locuta est, nisi cum iam oculorum acies hebesceret. Vos quidem inquit uix amplius agnosco, omnia autem cætera mihi uidentur plenà esse pulcherrimis floribus. Et hæc quidem postrema fuit illius oratio. Non multò enim post, quasi dulci quodam somno oppressa, est lauit animã: cum iam per dies aliquot magna asseueratio-

tione sæpius affirmasset, se nihil aliud magis cupere quam
 dissolui & esse cum Christo: cuius in se maxima beneficia,
 quoties per uim morbi licebat, nunquam cessabat predica-
 re, quòd eam uerbi sui cognitione illustrasset, quòd ani-
 mum eius ab omnibus mundi huius uoluptatibus alienasset,
 quòd desiderium uitæ illius æternæ in ipsa accendisset: nec
 se dubitabat in omni sermone appellare filiam Dei. Nihil
 autem potuit minus ferre, quàm si quis consolandi eius
 gratia diceret fore, ut ex hoc morbo conualesceret. Dice-
 bat enim Deum breue quoddam uitæ curriculum circum-
 scripsisse sibi, sed ualde laboriosum & plenum ærumnis:
 itaq; non cupere se iam à calce ad carceres reuerti. Inter-
 rogata fuit eodem tempore à quodam uiro bono, an esset
 in animo eius scrupulus aliquis, qui eam malè haberet. At
 illa, totis inquit, ante hac septem annis nunquam cessauit
 diabolus omnibus modis conari, ut me de fide uera detrude-
 ret: nunc uerò ac si omnia sua tela amisisset, nusquam appa-
 ret. Nec ego in animo meo quidquam aliud sentio quàm
 summam tranquillitatem, & pacem Christi. Sed longum
 esset si uellem enumerare quæcunq; illa magna cum admi-
 ratione nostra, qui illam audiuius, sanctè, piè, constanter,
 fortissimoq; animo dixit. Mortua est VII cal. Nouemb.
 hora quarta pomeridiana, cum nondum nata esset annos
 XXIX. Acceperat à te literas proximo hoc mercatu
 Francofordiense, quibus & si grauissimè tum afflictaba-
 tur, uoluit tamen respondere, suaq; manu scriptum respon-
 sum ad te mittere. Sed cum postea quædam mutasset, neq;
 posset propter debilitatem eadem rescribere, mihi dedit id
 negotij. Mitto igitur tibi, ut uidebis, tristissimi huius casus
 præ-

præfagas literas, unâ cum sex Psalmis quos illa græcos fe-
 cît, & Epigrammatis quibusdam paucis. Fratrem eius a-
 pud me retineo, & uereor tamen ne parû proficiat, eo quòd
 nec ego semper possum cum illo esse, nec habeat ipse alios
 quibus æmuletur: sunt enim apud nos iam deserta scholæ:
 Si existimares posse eum commodius apud uos esse, ego
 sanè illi, quod in me est, non deessem, & nimis cuperem il-
 lum sororis laudem æmulari, à qua sola hætenus fuit insti-
 tutus. Sed de hac re consilium tuum exspecto: Hoc uerò
 nunc me sollicitat, quomodo triste hoc nuntium ad socrum
 deferam. Scio optimam & alioqui etiam afflictam mulie-
 rem uehementer perturbatam fore. Itaq; mihi percommo-
 dum uideretur, si tu, quæ tua est pietas & eloquentia, prius
 ad eam datis literis, hisce meis aditum quædam parares: ani-
 mumq; illius ad hos infelices rumores antè quasi præmunî-
 res. Inuitus quidem te onero: sed quid faciam? Nec ego quid
 fieri debeat uideo, nec alterius opera possum uti. Si quid
 unquam tua causa uicissim potero, faciam certè (nihil di-
 cam magnificè) perlibenter, & amicè. Libros tuos nondum
 legi, ut nec aliud quicquam, præterea toto illo tempore
 quo uxorem charissimam uidi tam grauitè decumbere:
 Cæterum quamprimum licebit aliquid posse facere, legant
 diligenter illos, præsertim qui sunt de Regno Dei, quòd in-
 de spero aliquod huic morbo meo remedium. Interim tibi
 mi Cæli cum uxore charissima, dulcissimisq; liberis
 felicius, quàm ego, uale. Heidelbergæ. X.

cal. Decembr. M. D. L. V.

d z

OLYMPIA MORATA GRVNVNTHLE-
RA CAELIO S. CVRIONI



V A M molli sint animo qui uera
amicitia, hoc est Christiana inter se
conglutinati sunt, hinc mi Caeli tan-
quam pater suauissime conicias,
quod ego lectis tuis literis lacry-
mas abstinere non potui. Nam cum
te tanquam ab orco reuocatum esse
audirem, gaudio profecto lacrymabam. Oro autem Deum
ut te tueatur, uti Ecclesiae suae commodis & utilitati inser-
uire diu queas. De morbo filiae tuae ualde doleo: sed quia,
ut scribis, spes est eam posse consanescere, dolorem lenie-
mus. De me uero mi Caeli, scias omnem longioris uitae spem
ademptam esse. Nam quod ad medicamenta attinet, qui-
bus usa sum plurimis, nihil est quod opem ferat. Indies iam
imò in horas ferme nihil aliud nostri expectant, quam ut
hinc migrem. & sanè ego nescio an istae sint ultimae literae
futuræ, quas à me accipies. Corpus omnino & uires sunt
amissae: nullum habeo ciborum gustum: catarrhus dies
ac noctes me suffocare conatur: Febris uehemens & assi-
dua: dolores per totum corpus qui me somno priuant. Itaque
nihil restat nisi ut animam efflem. Adhuc adest spiritus in
artibus memor omnium meorum amicorum & beneficio-
rum acceptorum. Quare tibi pro tuis libellis & bonis illis
uiris, qui me tot pulcherrimis muneribus affecerunt, ingen-
tes ego gratias, cupiebam referre, si fata talissent. Ego
omnino

omnino breui me decessuram opinor. tibi ecclesiam commendo: ut quidquid agas, id ex usu eius sit. Vale optime Cæli, & si de obitu meo tibi renunciatum fuerit, ne doleas. nam ego scio tunc demum me uicturam: cupioq; iam dissolui & esse cum Christo. De fratre quod quæris, proficit is quidem, sed ita, ut magis calcaribus, quam freno egeat. Heidelberga deserta uidetur, tum ex fuga plurimorum propter pestilentiam, tum ex obitu quoq; multorum. S. P. tibi adscribit maritus meus. Saluta familiam tuam nostro nomine. Carmina quæ potui in memoriã redigere postui nam Suinfortesem ad te ut postulas mitto: alia mea scripta perierunt. Quæso ut meus Aristarchus esse uelis, eaq; limare

Hæc cum scripsisset admonui illam de præclarissimo illo Bonifacio Amerbachio. Ipsa uerò, Tu, inquit, nosti me ad eum iam semel scripsisse per Heroldum, neq; hætenus responsum accepisse; & nunc quidem quòd scribam nihil habeo, & si haberem non possem. Tu igitur cum ad Cælium nostrum scribes, iubebis illum quoq; nomine meo plurimum saluere. Iterum Vale.

CÆL. SECVNDVS CVRIO ANDREAE GRVNTLERO MEDICO
per Christum Iesum S. P. D.

Quantum moerorem mihi attulerint literæ tuæ, nihil est quod expectes ut ullis uerbis à me explicari ullo modo possit. De morte enim eius mihi renuntiasti quam cum propter optimi atq; doctissimi patris eius memoriam, unicè amabam: tum propter eius singularem erga

Deum pietatē, summamq; eruditionem religiosè colebam.
 Et quamquam scio quantopere illam amares, imò uel
 mortuam amore prosequaris: & quàm miserè illius disces-
 sum ex hac uita tuleris, tamen uelim etiam te hoc mihi con-
 cedere, ut in amoris ratione diuersa, non admodum te sim
 inferior. Tu ut coniugem charissimam tuam Olympiam
 defles; ego ut filiam, nō natura, sed quòd nobilius est, pieta-
 te, & charitate deploro. Sed quoniam tanta animi alacri-
 tate, atq; in Deum fide, illa, quanta scribis, excessit è uita,
 nostro incommodo detrimentoq;, si est ita necesse, dolea-
 mus: illius uerò felicitatē, beneuolentia potius quàm moe-
 rore prosequamur: ut quotiescūq; eius diuinas uirtutes reco-
 limus, illam potius quàm nos metipsos diligere uideamur.
 Nam si dolemus quòd ea iam frui non liceat, nostrum est id
 malum, quod modicè feramus, ne ad domesticam uilitatē
 omnia referre uideamur. Sin tanquam illi ipsi acerbitatis
 aliquid acciderit, angimur, mitto quod præter nostram pro-
 fessionem facimus (qui sciamus nulli iam pœne obnoxios
 esse, qui ut illa, cum C H R I S T I fide alacritateq; ex
 hac uita discedunt) summam certè eius felicitatem non sa-
 tis grato animo interpretamur. Nullam ego hac, medici-
 nam ad leniendum mei animi dolorem aptiorem inueni,
 qua etiam te uirum ista sapientia usum esse non dubito. Ad
 Socrū tuam, ut uoluisti, scripsi: eamq; qua potui tum ratio-
 ne sum consolatus: quàm rectè, uideris tu: nam eam episto-
 lam ad te mitto, post à me ex nostro illo Italico sermone in
 latinum conuersam, ut edi posset. Statui enim Olympiæ no-
 stræ quæ sunt apud me monumenta quamprimum edere,
 unā, & doctorum uirorum de ea iudicia & laudes:
 & iam

Et iam edidissim, nisi nostri Typographi omnia iam habuis-
 sent occupata. Scripsi etiam ipse, non epithaphium qui-
 dem, sed apotheosim eius paucis uersiculis; et adiungam
 eius epistolam meam, tuamque de eius morte ad me: quae loco ui-
 tae eius esse poterunt, testimonijque autoritatem habere. Te au-
 tem oratum uelim, ut quaecumque eius scriptiones poterunt, uel
 apud te, uel apud alios inueniri, eas ad me celerrime trans-
 mittas, ut adiungi reliquis possint. De Acilio uxoris tuae
 fratre, quod scripsisti cogitavi. Vestram Scholam aut iam
 renouatam esse, aut breui renouandam atque instaurandam
 puto: praesertim cum nouum Principem iam habeatis er-
 ga literas, et religionem praecclare propensum. Quod nisi
 esset, aut breui fore sperarem, hortarer, imo rogarem te, ut
 cum ad nos mitteres: cui certe pro mea uirili nunquam es-
 sem defuturus. Tu igitur ad me quamprimum omnia per-
 scribes, et quid sperandum sit uobis, mihi significabis. Et
 quod proximis literis ad me ausus scribere de Olympiam,
 non uideris, perscribe. nam satis tuto et fideliter ad nos
 tuae litterae perferuntur. Nescio quando simul futuri simus,
 quod tamen maxime optarem. Viderer enim te uidens,
 non te solum, sed Olympiam quoque ipsam ui-
 dere. Vale. Basileae Idibus Martij

M D L V I. Salutatur te uxor

mea, et Fuluiolum.

d 4

C A E L. S E C V N D V S C V R I O L V.
 C R E T I A E M O R A T A E
 S. P. D.



TSI non saepe ad te scripsi Lucretia sororis loco mihi charissima, id tamen nulla tua erga me humanitatis obliuione factum est, sed temporum iniquitate. Teneo enim memoria, teneo quam officiosa erga me, in meis temporibus fueris, tum, quum uiuo adhuc Fulvio tuo, domi uestrae essem. Equidem pro nostra necessitudine, semper absens & res uestras secundas magna cum animi mei letitia audiui; & aduersas non sine graui dolore accepi. Itaque post acceptum de Fuluij mihi coniunctissimi obitu moerorem, ubi de Olympiae cum Andrea Grunthlero iuuenere eruditissimo, & Medico nuptijs accepissem, summam capi uoluptatem: quod uiderem lectissimam atque doctissimam puellam in suum comparem diuino numine incidisse. Post autem quum a suo marito in Germaniam ducere tur subito ab ea literis admonitus, quae mihi cum Fulvio patre sanctissime intercesserat, amicitiam colere non destiti: ~~earum~~ amicitias neque ueras, neque firmas ratus, quae ad haeredes non transirent, aeternaeque non essent. Itaque deinceps ambo in ea perseuerauimus, dum illa ad me tanquam ad parentem suum, ego ad illam tanquam ad filiam charissimam scribimus: id quod literae ultro citroque missae, testantur. Incidit interea Suinfordiae urbis nobilissimae casus, quo audito, metuens ne simul cum mariti patria ambo, nec non & una Aemilius filius tuus concidissent, incredibilem

lem

Item animo cepi dolorem. Nam & si quocunq; mortis genere quis intereat, mors semper sit mors, animus tamen ab ea morte abhorret, quæ naturalem fatalemq; uiuendi cursum absoluere non sinit: sed externa aliqua adhibita uiolenter abrumpit: uno excepto, si quando sanctissimæ religionis ac ueritatis causa mortem oppetere contingat: quod genus mortis ego fortunatissimum iudico. Hac excepta, si cui inter suos placidè, quieteq; ex hac uita migrare contigerit, hanc ego præ illa uiolenta, mortem non puto, sed suauem discessum, & tutissimam profectionem. Existimare quidem facile possum, quum Olympia tua, unà cum paruulo fratre & marito à tè discederet, ut tam longum & difficile iter conficeret: & quasi abs te diuulsa in remotissimas terras abduceretur, tibi eam profectionem instar mortis fuisse: dum cogitares te fortassis nunquam eam in hac uita esse uisuram: quippe tam longè à tuo conspectu abesse, haud multo secus ac si ex hac uita excessisset existimare potuisti. Post, deinde accepto de tui generi patriæ crudeli & miserabili ruina, quin eos tanquam mortuos luxeris, nullo modo dubito. Quamobrem satis intelligere possum, si quem ipsorum ex hac uita miseris & calamitatibus plena, ad meliorem illam euocare contingeret, te illis tot & tantis, quos iam eorum causa suscepisti, non multo maiorem sensuram fuisse dolorem. Nam ut uerum fateamur, Lucretia soror, quid est in hac mundi colluione stabile & firmum? aut quod animo Christiano magnopere expetendum esse uideatur? Me quidem, nihil ista mouent, ne illa quidem quæ maximè omnes ferè admirantur, opes, dignitates, iucunditates: quin potius hinc migrare

aueo; ut cum meo Domino Iesu Christo uero sospitato-
 esse, in illa aeterna ac beata uita possim. Ac tibi confirmo
 planè, tale semper fuisse Olympiae desiderium tuæ, ut ego
 ab ea saepenumero accepi; quod etiam eius mariti literæ
 ad me scriptæ testantur. Tandem igitur Deus eius annuit
 uotis: eamq; non è tuo quidem, ex quo iam dudum quasi
 maturus fructus ex sua arbore decerpta fuerat, sed è com-
 plexu charissimi coniugis, corporisq; uinculis, in cœlum
 placidè transtulit, ad ea fruenda bona, quæ uerè bona sunt
 quæq; illa semper & sperauit, & summopere concupiuit.
 Equidem fateor si nos ipsi tantùm respicimus, eius deside-
 rio grauius angendum esse; sed si eius commoda & feli-
 citatem, deinde etiam huius uitæ miseras, est quo nos ipsi
 consolemur, eiq; gratulemur. Nam suis tantùm incommo-
 dis usq; adeo grauius angitur, non amicum, sed seipsum a-
 mantis est. Quid, quòd si paulò altius rem expendere ueli-
 mus, ne mortua quidem est Olympia nostra, sed uiuit cum
 Christo beata, & immortalis: ac post tot ærumnas & la-
 bores in dulcem atq; optatam quietem recepta est. Viuit,
 uiuit, inquam Olympia tua, Lucretia, etiam in hoc mun-
 do, uiuetq; dum erunt homines in mundo, in uiua immorta-
 liq; suorum operum diuinorum monumentorum, atq; om-
 nium excellentissimorum ingeniorum memoria. Nec uerò
 hæc tantùm uita ducenda est, quæ corpore & spiritu con-
 tinetur: sed illa multò magis quæ uigebit memoria secu-
 lorum omnium: quam posteritas alet: quam ipsa æterni-
 tas semper tuebitur. Quæ cum ita sint, debes & tu Lucre-
 tia ista prudentia, ista fide, & pietate prædita, tuam uo-
 luntatem Dei uoluntati submittere: nature, quæ nos
 omnes

omnes aliqua ex parte mortales generauit, ius suum concedere: ac deniq; iusto sanctoq; desiderio filiae tuae Olympiae id tribuere, per quam tu cum omnibus tuis, imò Italia nostra omnis semper magis, magisq; commendabitur. Eius enim ingenium, eruditionem, pietatem, fidem, pudicitiam, omnium mortalium fama celebrabit. Haec cogita, atq; idem apud te reputa, sic fiet ut dolori modum imponas: neq; plus lacrimarum filiae dabis, quam pia & religiosa humanitas poscere uideatur. Vale. Basileae cal. Ian.

M. D. L. V. I.

ANDREAS CAMPANVS ANDREAE
GRUNTLERO MEDICINAE
doctori & professori S. D.



ERlectis literis à tua humanitate exaratis, amicorū omnium candidissime, ualde me concussit immatura illa uxoris tuae doctissimae, piissimaeq; ex hac uita migratio: sed tamē quae in Christo uiuit mens super astra sedens non est lachrymis decoranda, neq; funera fletu faxit: Cur? uolitat docta per ora uirū, nec est ut etiam de pecunia sis sollicitus, est enim meorū ex sorore superstitum, & adhuc sub mea potestate. Quare si quid maius esset quò tibi gratificare possem, manibus pedibusq; omnixè operam darem: Adolescentem non uili: per alios enim literas ad me pferri curauit. Si igitur uel tibi placeret apud me uiuere per aliquot dies, nullo modo me grauares. His bene uale. Datum Mosburg oct. calen. Decemb: post partum Virginis Anno 1555.

LECTORI.

NON nostra voluntate sed necessitate, hæc pulcherrima epistola postremum locum sortita est, quæ uel princeps inter omnes esse debuit.

Nam tunc nobis oblata fuit cum ad finem epistolarum propè ventum esset: & malui mus vel hîc illam ponere, quàm lectorem tanto bono priuare.



OLYMPIA MORATA GRVNTHE
 RA ANNAE ESTENSI PRINCIPI
 GVISANAE PER IESVM CHRISTVM
 S. P. D.



VANQVAM Iampridem longo
 locorum Interuallo disiuncta sumus AN-
 NA Princeps Illustrissima, tamen ex
 animo meo nunquam haecenus tui memo-
 ria discessit. Si ob multas iustas causas
 ausa fuisssem, ad te meas literas dedissem: nunc autem obla-
 ta occasione, cū quidam doctus & pius uir è Lotharingia
 huc profectus nos inuississet, nihil mihi potius fuit, quàm ut
 quid tu ageres ex illo percontarer. Cumq; meas literas ad
 te perferendas se curaturum pollicitus esset, non putavi te
 tam animo duro fore, ut literas ab ea datas non libenter
 legeres, quæ tecum à teneris annis educata fuisset. Scis e-
 nim quàm familiariter (licet mea Princeps & hera esses)
 tot annos inter nos uixerimus, & ut literarum studia no-
 bis communia fuerint, quæ merito mutuam beneuolentiam
 inter nos conciliatam indies magis magisque augere de-
 bent. Equidem princeps preclara testor Deum, tibi ex ani-
 mo bene uolo optoq; si qua in re posssem tibi Inscruiere. non
 quòd ego rursus in aula agere uitam uelim (nam id liceret
 mihi etiam hîc) sed si tibi absens absenti uel consolando,
 uel quacunq; aliare prodesse posssem, id scito me lubenti
 animo, studioq; singulari facturam. Nihil uerò magis cupio
 quàm ut seriò ad sacrarum literarum studia te conferas quæ
 sola te cum Deo coniungere possunt, & te in omnibus istius
 uite

uit & miseris consolari. Ego certè nullum habeo solatiū,
 nullam aliam oblectationem. Nam ut primū Dei singu-
 lari benignitate ab illa idololatria Italiæ discessi, meq; nu-
 ptam medico Andrea Grunthlero in Germaniam contuli,
 incredibile est quā Deus mutauerit animum meum, ut
 potè quæ prius longissimè à diuinis literis abhorruerim,
 iam illis solis me oblectem, & omne meum studium, ope-
 ram, curam, mentem deniq; omnem, in eo locem, ut quan-
 tum fieri possit, hæc omnia contemnā, diuitias, honores, uo-
 luptates, quæ quondam ad eò admirari solebam. Quæ sanè
 uellem optima princeps, etiam atq; etiam tu considerares.
 Nihil est (mihi crede) stabile hīc, omnia mutantur, &
 omnibus (inquit ille) calcanda semel uia læti, & citò: uo-
 lat enim ætas: nihil diuitiæ profunt, nihil honores, nihil Re-
 gum fauor: tantum uerò illa fides, qua Christum amplecti-
 mur, nos ab illa sempiterna morte, ac damnatione eripere
 potest. quæ cum sit donum Dei, eam ab illo maximis preci-
 bus petere debes. Non enim sat est Christi historiam nosse,
 quam & diabolus non ignorat, sed eam fidem habere oportet,
 quæ operatur per dilectionem, quæ efficit ut Christum
 profiteri audeas inter illius hostes: alioqui, quem mei (in-
 quit) puduerit, & me illius coram patre meo pudebit. Neq;
 ulli unquam martyres extitissent, si suam occultassent fi-
 dem. Qua propter mea suauiissima princeps, cum deus te
 tanto affecerit beneficio, ut suā ueritatem tibi patefecerit,
 sciasq; tot illos homines qui iam istic comburuntur, inno-
 centissimos esse, propterq; Christi Euangelium tot subire
 cruciatus, certè tuum est officium, ut eos, uel excusando Re-
 gi, uel pro illis deprecando, tuam ostendas sententiam. Nam
 si ta-

Si taces aut conuiues, fersq; tuos ita cruciari, com-
 buriq; pateris, neq; saltem uerbis tibi id displicere ostendis
 uideris tacendo in eorum cædem conspirare: & Christi ho-
 stibus assentiri. At dices fortasse, si hoc ego facerem, possem
 mihi Regem, uel maritum meum iratos habere, multosq;
 alios inimicos capere: cogita satius esse, te odio esse homi-
 nibus, quàm Deo, qui non solum corpus, sed etiam animam
 perpetuo igni cruciare potest. At hunc si amicum habue-
 ris, nemo tibi nocere poterit, nisi ille permiserit, in cuius
 manu omnia sunt. Hæc fac tecum animo cogites. Utinam in-
 telligam te serio pietatem colere, & Deum metuere. In-
 cumbe (obsecro) in sacras literas, & in preces. Quicquid
 (inquit Christus) meo nomine à patre petieritis, dabit uo-
 bis. Memineris te mortali conditione generatam esse, neq;
 audias illos qui dicunt: breuissima est hec uita, ergo animo
 obsequamur, fruamur huius mundi uoluptatibus: quin po-
 tius Paulū audias, qui ait: Si secundum carnē uixeritis, hoc
 est, si corporis uoluptatibus uos dederitis, perpetuò peribi-
 tis. Plura aliàs in hanc sententiam scribam, si meas literas
 tibi gratas fuisse intellexero, curaboq; ad te Christianos
 libellos perferri, si Christum discere uoles. Hæc amore sum-
 mo in te adducta scripsi. Cùm enim me Deus ad summum
 cæleste regnum ascuerit, eorundē æternorum bonorum te
 participem fieri maximè uellem, quod si ita cecidisse, ut
 opto, intellexero, summam ex eo uoluptatem ca-
 piam, gratiasq; Deo agam ingentes. Vale

Heidelbergæ cal. Iulij.

2554.

CAELIVS CALCAGNIVS. OLYMPIA-
DI MORATAE S.



VID ego simulem me tuas literas optasse? quarum suauitatem nondum attigeram. Vix enim quenquam desiderium incessit eius rei, cuius gustum nondum sit assecutus. At postquam tuam illam epistolam, quam te puto dictantibus Musis excepisse, ad me dedisti: ingenuè fateor me nunc demum tuarum literarum desiderio laborare. non sanè ut mihi materia taxandi præbeatur. Neque enim uel ipse Momus in ijs quicquam offendat, quod acuto oculo possit perstringere, quantò ego minus? qui & ingenio tuo faueo, & candorem unum maximè omnium familiariter colo. Quare tu quidem aut ipsi tibi, aut certè mihi insignem iniuriam fecisti, quum me eum esse existimasti qui in aliena scripta censuram exerceam: aut ea abs te scribi ueritates, quæ stylo confodi aut trāsuerso calamo induci mereantur. Quòd si hæc suspicio te male habet, parum profectò tua bona uideris agnoscere, neque meminisse delicias istas Musarum planè tibi esse uernaculas, quas cum ipso propè lacte nutricis hauseris: eundemq; tibi & corporis parentè & animi formatorem diuina quasi uirgula obtigisse. Iure igitur tibi uirgo ornatissima & gratulor, & te hortor ut tuos istos profectus nauiter promoueas, eosq; quotidie meliores auctioresq; facias: ut nostra quoq; secula intelligat, magni numinis beneficentiam non cessare, neque bonarum artium studia sceminis abiudicasse: multoq; minus naturam

effectam esse, ut nonnulli suae patrocinantibus desidiae arbitriati sunt, quae nostra etiam aetate Aspasiae & Diotimae non possit excitare, si modo cura & diligentia adhibeatur. Cuius rei facile fidem feceris, si constanter in coepta studia incumbas, & pro colo calamum, pro lino libros, pro acu stylum exerceas. quod ut commodius facere possis, tuaque laus in dies fiat illustrior, en quam opportunè fortuna te in aulam regiam optimae ac praestantissimae ducis Ireneae, & in comitatum Annae principis prouexit, cuius diuina in doles ipsam pollicetur parentum felicitati non minus splendoris quam acceperit esse addituram. tu uerò quum recta parentum instituta, pudicitiam scilicet, modestiam, bonarum disciplinarum rudimenta domo attuleris, isthic quoque adnitere, ut sapientiam, morum elegantiam, animi magnitudinem, rerum denique humiliū despicientiam consequare.

Bene uale.

C A E

75

C A E L I V S C A L C A G N I V S . O L Y M -
P I A D I M O R A T A E S .



DEFENSIONEM quam pro Cicerone nuper elaborasti, legi summa cum uoluptate: tum quòd abs te proficisceretur, cuius studijs iam pridem plurimum faueo: tū quòd in ea mirum in modum Veneres & Gratias paternas expresseris. Accessit h. ec quoq; priuatim commendatio, quòd eam mihi munus esse uoluisti, idq; adeo gratum & iucundum, ut in interiorem bibliothecam receptum sit à me, & inter sanctiores thesauros collocatū. Gratulor igitur isti festiuissimo ingenio tuo, pleno leporis pleno eruditionis: cuius mihi certissimum testimonium dedit felix illa & prædiues uerborum suppellex & argumētorum copia, quam in illam admirabili artificio congesisti, ut omnes oratorias lecythos propemodum reluisse uidearis. Auget admirationem, quòd quum cæteris uirginibus ille mos sit peculiaris, ut uernos flosculos hinc atque inde decerpant, unde sibi uersicolore coronam intexāt: tu non iam flosculos illos qui suis horis expirant ac breuī commoriuntur, sed planè immortales amarant hos ex fœcūdis Musarum uiretis legisti, quibus ceu tessellis uermiculatis totam orationem adornares atque interspergeres. Quibus ea est etiam prærogatiua propè diuinitus data, ut nunquam flaccescant, sed ætatis beneficio fruuntur, & quotidie magis reuirescant. Musas iratas habeam, ni mihi hoc certum ac persuasum est, Ciceronem, si ad eius manes tam excultæ defensionis fama peruasit, gratias ultro acturum

atque adeo habiturum sillographis & calumniatoribus
 illis suis, qui tibi elucubrandi bellissimam istam orationē
 occasionem de dere. Quum igitur aduersarios Ciceronis
 sis tam graui stylo persecuta, quum tanto studio Ciceronis
 partes defenderis, uide ac tecum cogita, quantam de te
 expectationem concitaris, quantis denique te prædibus ob-
 strinxeris: ut iam tibi non liceat mutare sacramentum, ne-
 que militiam cui semel religiosè nomen dedisti, abiurare.
 Te itaque in castris Ciceronis assiduam ac frequentem
 esse oportet, donec iusta stipendia confeceris, atque ad pri-
 mos ordines perueneris: idq; eò libentius ac accuratius fa-
 cere debes, ut Annæ principis lectissimæ, in cuius regio co-
 mitatu adscripta es, plenius fauorem promerearis, eiusq;
 studia imiteris: quæ quum omnes summas uirtutes in hac
 tenera ætatula amplexetur, tum maximè græca &
 latina studia, & ipsam in primis eloquentiam,
 tanquam puellares iocos suas deli-
 cias putat. Bene uale.

OLYMPIAE FVLVIAE
MORATAE VATIS DIVINAE HYM
NI OCTO GRAECE AB EA EX
TOTIDEM PSALMIS
CONFECTI.

Ψαλμός α.

Ωμάκαρ, ὅσις γ' ὄδῃ κακοῦ ῥαφίσι Βεβήλου
πειθόμενος διὰ γειβίου. ὄδ' ἄν' ἄταρ πομ
ἀλίτρε

δυσθύνει, καὶ ἐπὶ κλισμῶ μὴ ἴζεται ἔλου
ἀνέρος, ἀλλὰ θεοῖο νόμος νύκτας τε καὶ ἡμέρας
πάγχυ μετὰ φρεσὶ μέμβλεται αὐτῶν ωλιμὲς αἰεὶ.
ἢ ἴτε τηλέθορον δ' ἐνδύου πεφυτευμένον ἀμφὶ
ἀενάου ποταμοῖο ῥοᾶς καρπῶν βεβριθῶν
ὠράω, τοῦ δ' ὄκ' ἀνεμῶ χθονὶ φύλλα πελάσσει.
ὡς ἀνήρ φρένα τὸρπόμενος θεσμοῖσι θεοῖο
ἀνθήσει διὰ παντός ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ,
ἔργοισιν δὲ τρόποασιν, ὅσ' ἔρξη ὄδ' ὄλβος ὀπηδεῖ.

Αὐτὰρ ἀνήρ ἀθεμίσι ὠθεταὶ ἔνθα καὶ ἔνθα
ἄχρη ὡς. τῆν εἰλυφόωσα φέρει ἀνέμων ἴς.
ὄδ' ἔμλ' ὄδ' ἀνάρσιοι εὐαγέων ἐν ὁμίλῳ
αὐσῆσοντ', ὄδ' εἰν ἀγορῇ ποτὲ κυδ' ἰανείρη
ὡς μὲν γὰρ θεὸς ἐκτελεεὶ ὄδ' ὄν ἀνέρος ἐδιδῶς.
ὡς δὲ τῆν σῆν ἄν' ὄδ' ὄν σείχουσι βεβήλοι.

Τίπτε τόσθ θνητῶν ἀνδρῶν ὄρυμα γολὸς ὄρωρει,
 τί κλονέουσ' οἱ λαοὶ ἐτώσια μοχθίζοντες.
 Σκηπτοῦχοι βασιλεῖς, ἀρχοῖθ' ὁμοῦ ἠγερέθοντο
 σύμπαντες. κακὰ μητιόωντες ἐνὶ φρεσὶν ἡσὶν
 ὁ θνητῶ βροτῶ. ἀλλὰ θεῶ ἢ χρισῶ ἀνακτι.
 καχτερά δ' εσμά, λέγοντες, ἀπ' ἡρώδης ἡμετεροῖο
 ρίπῃ μῶν, καὶ ζεύγῃ τῶνδε βαλομῶν ἀφ' ἡμέων.
 Τῶνδ' αἰῶν γελᾷ μῶν, ὅς ὄρανῶ ἐμβασιλεύει
 αὐτὰρ ἐπειτὰ χολωσάμενος, μύθον γ' ἀγορεύσει,
 καρτερόν, ὅς κείνων δ' εἴξει φρένας, ἠδὲ ταραξεί.
 τῶτῶ γὰρ χρισῶ βασιλεύτατον ἔμμεναι ἄλλων
 ἠδὲ σιῶν, ἱερόν κατακοιρανέειν ἐπέτελλεν.
 ὅς μυθεῖται ἄμιν κέλεται θεός. υἱὸς ἐγωγε
 εἰμὶ θεῶ, μέτ' ἐγείνατο σήμερον: ἔργα φύηντε
 αὐτῶ εἰσάμνον. καὶ με πρὸς μύθον ἔειπεν.
 Αἴτεε μ' ὄφρα λάχης κληρῶ τεῶ ἔθνεα φωτῶν.
 σκηπτοῦρον γὰρ τι δώσω ἐγὼν, ἵνα ἴφῃ ἀνάσῃς
 πάντεος' οἰκοῖς, ἢ δὲ ἐσπερίοις ἀνθρώποις.
 Οὗς σοῦ σκηπανίε τρίφεις ἀεθῶνι σισλήρω
 ρηϊδίως. ὡς. ἀγγθ' ὁ μῶν κεραμεύς κάμεχερσί.
 τόνεκα νῦν βασιλεῖς πάντες τε δικαστοῖοι ἀνδρες
 δὲ κ' ἐοικ' ἀπυρνοσέμῳ, ἀλλὰ νοήμονας εἶναι.
 ἠδὲ θεὸν τίειν τρομέοντας, ἀγαλλομένους τε.
 καὶ προσπύξαδα τέκθ', ὄφρα μὴ ἀπὸς ὀλεθροῦ.
 ὑμμην

ὑμῖν ἐπιρρέπη, αὐτίκ' ἐκείνδ' ὀδυσσάμενοιο.
αὐτὰρ τρισμάκαρες τῆσ' ὠίσυνοι βασιλῆϊ.

ψαλ. κβ.

οὐλυμπὸς μεγάλα βασιλεύς καὶ γῆς πολυφόρος
ποικαίνει με, τίν' ὄδυσσομαι; ἔνμαλακῶ γάρ,
λειμῶν' εἴσευ' ἐμ' ἐνθα ῥέει καλλιῤῥοον ὕδωρ.
ὦ με ψύχει, ὅταν με πόν' ὄφρενας ἀμφιβεβῆκει.
αὐτὸς ἄγα με δ' ἰκαυσώης πρὸς ἀταρπιτὸν εὐθύς.
οἰκτεῖρμ' ἀγαλὸς καὶ κύν' ὄδ' εἶνεχ' ἑοῖο.
εἰ δ' ἀίδαο πελώρης ἀνὰ ζόφου ἠερόεντα.
φοιτῶ, ὅμως νόος ἔν σῆθεσι μοι ἀτρομ' ἔσαι.
τλῶν μὲν γάρ ἀεὶ μοι παρμέμβλωκας ἀρήγων.
καὶ ῥάβδ' ὄδ' ῥόπαλόν τε τέρ' με πᾶσοντα ἐρείθει.
καλῆν εὐξέσόν τε τράπεζαν ἐμοὶ προίηλες.
ἦ μέγα μοι κρατερόν τε μὲν ὄδ' ὄφρα λαμάσσω
δ' ἡδὲς ὑπὸ χερσὶν ἐνὶ κρατερῆ ὑσμίνῃ.
ἔλειψας δὲ κάρη λίπ' ἐλάκω, καὶ μοι ἄλεισον
δῶκας ἐνὶ πλεον ἔν τύνων μελιπδ' ὄδ' οἶνδ.
ἀεὶ γοῦν ἔλεεῖς ἐμὲ κώϊραν, ἵν' ἡματὰ πάντα
θαυετᾶω τέρ' ὕψιρεφές μέγα δῶμα, καλόν τε.

ψαλμ. λγ.

ὑμνήσω σε πάντες νύκτας τε καὶ ἡματὰ πάντα.

ε 4

ἔν σοι ἐγὼ λήξω, σέο δ' ἄρξομαι, ὄφρα μεΐσω
 ζωοῖσιν, καὶ ὄρω λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.
 μᾶνον σοι γαυροῦμαι ἀναξ ἀριδείκα τ' ἀνάκτων.
 τύω γὰρ μᾶνον μοι κύνδ' ἑπέρτα φρεσίν.

ὑμεῖς δ' ὦν παχύνονται ἐνὶ φρεσίν ἀλκιμορῆτορ
 χάρεστε, καὶ ξυναείδετε μοι θεῶν αἰὲρ ἔοντα.
 αὐτὸς μὲν γὰρ τειρομένους ὀδυνῆσιν κακῆσιν
 οἰκτεῖρετε, καὶ ἀράων ἐπακδέει ἀπάντων,
 οἳ μιν κικλήσκουσιν ἐπὶ ξυροῦ ἠδὲ ἔοντες.
 κ' αὐτὸς ἐγὼ δίκην μωθ', ὄτραλέως μιν ἐφδύρορ.
 ἢ με σώσωρ ἀπαντα μοι ἐκ δ' ἔειλετο γύωρ.
 οἷς δ' ἀχνύμενον κακῆσιν τοῦτον βααλῆα,
 ἔκ ἀδλοῖ τὸτ' ὅτ' ἐρυθρίασσι παρεια.
 οἷς δ' ἠύσερ μεγ' ὀδυρόμενον καὶ ἀχδύωρ,
 τὸτ' ἀκασε βοῆς, καὶ μιν κακότηρ ἔλυσερ.

Ἀλλὰ καὶ ἄγγελοι ἀμφὶ τὸν εὐσεβέα στρατιῶντα
 ἐν πάντεσσι πόνοισι οἱ ἀσοσητῆρες ἔοντες.

Ω θνητοὶ φράζεσθε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
 ὡς θεὸς ἀμμι περισπλαγχνὸς καὶ μείλιχός ἐστι.
 ὦ μάκαρ, ὅς ῥα πέποιθ' αὐτῶ, καὶ αἰσέειτ' αὐτόν.
 ἔ γὰρ τοῖστος ποτε τεῦ δεινῆσεται: ἀλλὰ
 τὸτ' ἄλις βίοτιο τε καὶ μέγας ὄλβος ὀπηδεί.
 ἢ μὰρ ἀνέρες ἀφνειοὶ βίοτιο χατίζου.

ἀδλόμενοι δὲ θεῶν πατέρ', ὄλβου ἀπήμον' ἔχουσιν.
 Ἀλλ' ἄγετ' ὦ παῖδες πυκινῶς ἑποθήσομαι ὑμῖν.
 μοὶ πέθεσθ', ἐγὼ αἰδέσθαι θεῶν ὑμμε δισδάξω.

ὑμέων

ὑμέων εἶπος εὐφροσύνως διάγειν ἐθέλῃσι,
 τὸν χεὶρ ἔχειν γλῶσσαν, ἵνα μηδ' ἐμ' ἔπος κακὸν εἶπῃ,
 μηδὲ δολοφρονέοντ' ἀγορευέμεν, αὐτὰρ εὐ' ἔρδ' εἰμ.
 ποιεῖσθαι δὲ ποτὶ θεῶν εἰρήνην, ποτὶ τ' ἀνδράσ.
 ὃ γὰρ πω θεὸς ὅσασε δικάϊα ἀρετρεπὲι ἀνδρῶς,
 ἀλλὰ παρισάμεν Θ' μὴ ῥύεται ἡ δὲ φυλάτῃ.
 αὐτὰρ ὑπόδρα ἰδὼν τ' ἀνάριστον ἀνδρᾶ δλοκεύει.
 ὄφρα μὴ ἀγνώσοι τεύχη πάντεσσι βροτοῖσιν.

Ἄλλοτε λισόμενοι μὴ χεῖρας ἀνέσχοι οἱ ἐδλοῖ,
 αὐτῶς δὲ κλύειν εὐχομένων, σφίσι λοιγὸν ἀμύνων,
 κ' ἀγχι παρισάμενος κεκακωμένον ἀνδρᾶ φυλάτῃ,
 καὶ τετλημένω ἦτορ ἐπάρρηθός ἐσι τῷ ἀνδρῇ.

Πολλὰ μογοῦσι δλοκαῖοι, ἀτὰρ παύσει θεὸς αὐτῶς
 σύμπαντος κλαυθμοῖο, γόοιο τ' ἀλακρυόεντος.
 αὐτῶν ἐνδλυκέως καὶ τ' ὡσεα πάντα φυλάτῃων,
 τῶν δ' ἔμ ποτε ῥήξετα ὃ δ' εἰς ὃ δὲ κεάσει.

οἱ αὐτῶ κακὰ τεύχη ἀνὴρ ἀθεμίσιαι εἰδὼς.
 ὅσις τ' ἐχθαίρει θεοείκελον ἀνδρᾶ δλοκαῖον.
 ὅ ποτ' ἀνάτιος, ἀλλὰ μάλ' ἀτίος ἔσεται αἰεῖ.
 οἱ δὲ θεῶ πῖσυνοι μάλ' ἀνάτιοι αἰετ' ἔσοντα.
 λύσει ὄγ' ὃς θεράποντας, ἀποίνας δλοδὸς φίλον ἕοι.

ΨΑΛ. ΜΣ.

Τῶν οἰζυρῶν βροτέων ἀρήγων,
 σχ' εἶλας ἀρρηκτῶν πῆλεται θεὸς μου,

ος κ' ἀοσμητῆρ μόνθ' ἤλυθεν τοῖς
πολλὰ μογοῦσι.

τοῦνεκ' ὄδεις εἰμὸν ἦτρ' ὄδερ,
εἶκε πρ' ὀφθαλμὸν ἄμα πάσασιν ἄαμ
κ' ὄρ' ὠθείδαι σκίοεντα λεύσης
εἰς ἄλοσ' ὕδνην.

ἦν γὰρ ἀπειν' ὑψικόμων κάρηνα
ὠρέων πλήρης συγεροῖσι πόντθ'
ρέυμασι, κ' αὐτῆν ὀροθύνοι αἶαμ
εὐρυοδείην.

ἔδ' ὁμῶς κρήνη πόλεως θεοργῆ,
ἔερη λευκὸν προχέουσα ρεῖθρον,
δῶμα θέλξει χρυσοφανές θεῶ τῶ
αἶερ' εἰόντθ'.

τῆ πόλει ταύτη γε γὰρ ἰφ' ἀνάσσει
αὐτὸς ὠνθρώπων βασιλεὺς, θεῶν τε
κτίρανθ' κ' ὄδεις πόνθ' ὄδερ αὐτῆν
ἄλυθ' ἰκάνει.

φῦλα μὲν λαῶν μεγαλοκράτουντων
πολλὰ, καὶ πολλοὶ βασιλεῖς ἐς ἡμᾶς
ὄρμεονται, τῶν θορῦ βῶ κλονεῖται
ἠχέτα γαῖα.

Αὐτὰρ ὁ κρείων κρατερός μαχήμων
κτίρανθ', πάσης στυγίας ἀγανὸς
ἀρχός, ἡμῶν χ' ἡμετέρων ἀρωγός
κ' αὔρος ἐφάνθη.

ἠθνος

ἄθνος, ἀνθρώπων μάθε πάντ' ἐκείνους,
ὡς κάλ' ὡς θηκτὰ τέτυκται ἔργα,
ἐντε γῆ, καὶ δώμασι θρανοῖο

ἄσερόεντ' Θ.

τῆν μάχην ἀνὴρ βροτέων καθεῖλε,
τῶγκυλον τόξου κατέαξεν, ἄξεν
ἔγχ' Θ, αὐτὸς δ' αὖ ποδὶ κῆ ἐρίνης

λαμπετόωντι.

εἰς ἐμ' ἀθροισοῦ πολέμαρχος εἶπε,
κρίσανος ποῖου κράτος, ὅπλα ποῖα,
εἰς μοι μόνος κρατέω βροτῶντε

κ' θραυιῶνων.

αὐτὸς δ' κρείων κρατερός μαχίμων,
κρίσανος πάσης στρατίας ἀγαυὸς
ἀρχὸς, ἡμῶν χ' ἡμετέρων ἀρωγός

κ' οὔρος ἐφάνθη.

Ψαλ. ξθ.

Σπεῦθε θεὸς μὴ λοιγὸν ἀμυνέμεν ὅτι τάχιστα,
πάντων σύγχεε θυμὸν ἐνὶ σῆθεσιν ἀλειτῶν,
οἱ πειρῶνται ἐμὴν ψυχὴν αἰδοὶ προιάπτην.
Αἰχμῆ σφάξ, καὶ δ' ὅς ἀναξ χάζεοται ἐπίσσω.
καὶ θεὸς ἐλεγχίλους πάντας κακὰ μοι φρομέοντας
φευγόντων τάχα προτροπάδην ἀπ' ἐμοῖο καίηφεις
οἱ ῥα προσανδύσιν ἐμὲ κερτομίους ἐπέεσσι,

χαίροντων δὲ μέγ' οἱ διφῶσι σε ποιμένα λαῶν
 Αἰνόντων τέ σε καὶ μάλα πόντων δῖα πάντα.
 οἱ τε θεὸν τὸν Ἀλεξίκακον πόδι κῆρι φιλοῦσιν.
 Ἀλλ' ἐγὼ εἰμί πένης πυκνῶς ἀκαχημένος ἦτορ.
 σπευδέθ' ἄναξ θεὸς μοι λαιγὸν ἀμυνέμεν, ὅτι τάχιστα.
 σπεύσομαι ἄναξ θεὸς εἰς ἐμέ, κούρανε μὴ λιθῶναι.

Ψαλ. ρκδ.

Ὡς ὄρθ' αἰπὺ σῶν μένει ἔμπεδον ἀσφαλές αἰεὶ,
 ὡς τίσιμοι θεῶν δ' ἰσίων ὑπὸ χερσὶ πεσοῦνται,
 χ' ὡς σολύμων πῶλίεθρον ὄρεσφι κεκλιθῆσμένον ἐσίμ,
 ὡς πόδι λαὸν ἐοῶν. θεὸς ἄρρηκτον πέλεθ' εἶλαρ
 τόνεκα τοῖς ἐδλοῖσιν ἀτάταλα μηχανόωντες
 ἔκ αἰεὶ κρατέοντες ἀνάξουσ', ὄφρα τιθήσῃ
 ἐδλὸς ὑποχεσῆσιν θεῶν, τοῖσιν τε φυλάξῃ.
 Ἐδλα μὲν ἀνδράσιμ ἐδλοῖσιν δὲ ἄναξ σολύμωρετε
 πᾶσ' ἀγαθοῖσιν ἐπ' εἰρήνης θάλλειν, καὶ ἀλιτρῶς,
 ὡς κατίνευσας, ὄλεσον, ἰδὲ ἀνέρας ἄλλοπροσάλλους.

Ψαλ. τὸ Δαβίδος ἔξω τῷ ρν.

Μικρότερος μὲν ἔην δὲ μάς ἐν μεγάροισι τῶν κήων,
 ἢ δ' ἐκασιγνήτων ὀπωλότερος γενεῆ.
 Εἰροπτόκτος τ' οἴας ποιῶμαινον ἀν' ὄρεα μακρὰ,
 καὶ σύριγγι καλῇ θυμὸν ἔτερπον ἐμὸν.

γνωτοί

γνωσί δ' ἦσαν ἐμοὶ μεγαλοῖ τε καὶ εἶδος ἄριστοι,
 ἀλλ' ὄσφιν χαῖσμεν σώματος ἀγλαΐη.
 σκῆπτρον γάρ μοι δώκεν, ὅδ' ὥπερ ἅπαντα μέμηλε
 συμπάντων αἴωρ πάνθ' ὀρόων τε θεός.
 τέλει.

OLYMPIAE. EPIGRAMMATA
 TA TRIA GRAECE.

πρὸς χριστοῦ σαυρωθέντι.

Ὡς ὄφειον ποτε τ' κεκακωμένον ἔλκει λυγρῶ
 χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ χάλκεος ἄλθευ ὄφεις.
 ὡς ὄρ μὲν βροτολοιοῦς ὄφεις δ' ἄκευ· ἄλθεται αἶψα
 εἰς θεοῦ ἵον ἰδῶν ὑψόσ' ἀειρομένον.

Ἐπιτάφιον εἰς Ἰωάννην τ' λινθεμαννόν,
 ἐκκλησιαστήν.

Ἐνθα κατευνηθέντα βροτῶν κατὰ γαῖα καλύπτει,
 ὅς ποιμαίνεσκεν πώεα καλὰ θεῶ.
 ὅς οἴωμ' ἐνεκα πλείστος ἐμόγησεμ ἀέθλος,
 τὰς μὲν ρυθόμενος, μαρναμένος δ' ἐλύκοις.
 Νῦν δ' ἐ μὲν ἀργαλέα καμάτιο μινυνθ' ἀκλήγει,
 οὐδ' εἰμ τ' ἐν τύμβῳ χριστὸς ἀνωγε θεός.
 Ὅφρα μὴ ὅσα γε κήδε' ἅπασι βροχίσιμ' ἐφύπται.

οφθαλμοῖσιν ἴδῃ, μηδ' ἐκκακοντι πάθη.
 Αὐσῆσαι δὲ χρισὸς ἐὼν τάχα μηλοβοτήρα
 σήμαρος ἐξαγαγὼν ἡματι τῷ πυμαῖται.

Εὐχαὶ γαμικαί.

Εὐρυκρεῖον ἀναξ πάντων ὑπάτε κρείοντων
 ἄρσεν' ὅς ἐπλασσας, θηλυτερωῶν τε γένος,
 ὅς κ' ἀνδρὶ πρωτίσῃ εἴη παρὰ κοιτὴν ἔδωκας,
 ὄφρα τὰ γ' ἀνθρώπων μὴ ποτ' ὅλοιτο γένη.
 καὶ θνητῶν ψυχὰς νυμφὴν τεῶ ἔμμεναι ἕω
 τόνδ' ἔβελος θανέειν ἔνεχ' εἴης ἀλόχῃ
 οὐβου, ὁμοφρεσῶν τε δίδ' ὅσσει, ἠδὲ δαμαρτε
 θεσμός γάρ πέλεται λείπτρα γάμοιτε, τεός.

τέλει,

OLYMPIAE DE VERA VIRGI-
NITATE.

Quæ uirgo est, nisi mente quoq; est, & corpore uirgo,
Hæc laudem nullam uirginitatis habet,
Quæ uirgo est, uni CHRISTO ni tota dicata est,
Hæc Veneris uirgo est, totaq; mancipium.

OLYMPIAE FIDES.

Sic Deus humanam gentem uel semper amauit,
Filiam ut unigenam traderet ille neci.
Sic genus humanum dilexit filius ipse,
Solum ut æternam fuderit ille animam
Ut qui pacifero possit confidere CHRISTO,
Viuat, nec seua morte perire queat.

OLYMPIAE VOTVM.

Dissolui cupio, tanta est fiducia menti,
Esseq; cum CHRISTO, quo mea uita uiget.

OLYMPIAE FVLVIAE MORATAE
hymni à Carolo Vtenhonio Iuene politissimo ex
Græco in Latinum sermonem conuersi.

PSALMVS PRIMVS.

O fortunatum, qui nec uesana malorum
Consilia amplectens peragit sine crimine uitam,
Impia

Impia nec reprobi sequitur uestigia uulgi,
 Nec scurrilis adit damnosa sedilia turbae:
 Quin potius Domini Legem noctesq; diesq;
 Assidue toto meditatur pectore secum.
 Ac ueluti ripas propè consita fluminis arbos
 Praegruidos edit maturo germine fructus,
 Cuius humi frondes Boreæ prostertere nulla
 Vis queat: haud aliter, cui lex diuina placebit,
 Iugiter in terra multorum altrice uigebit
 Aspirante suis diuino numine uotis.
 Impius at contra, nunc huc, nunc fluctuat illuc
 Haud secus ac paleæ, quas turbinis exagitat uis.
 Ergo nec in coetu consistet turba bonorum
 Impia, conspicuum nec iudicis ante tribunal:
 Nanq; uiam Domino bene fortunante piorum,
 Ipsa ruet propriæ gens impia mole ruinae.

PSALMVS SECVNDVS.

Vnde fremit tanto genus heu mortale tumultu?
 Quid populi turbantur inania desudantes?
 Mutua sceptrigeros agitat uesania Reges
 Atque duces, animo fraudesq; que dolosq; parantes
 Non hominem aduersus mortali semine cretum,
 Sed fortem contra Dominum, Christumq; potentem.
 Quin age dicentes, nostro de corpore duos
 Projicimus nexus, iunga quin prohibemus eorum
 Talia iactantes, coelis qui praesidet altis,
 Ridet, & iratus sermone affatur acerbo,

Quo

Quo simul & mentes percellat & arguat horum
 Hunc ego constituam Regem super omnia Christum
 Ut ferat in sanctum regalia sceptrum Sionem,
 Qui loquitur quaecunque loqui Deus imperat ipsum
 Tu meus es, dicens proles charissima natus,
 Lux hodierna mihi genitum te reddidit orbi,
 Nec uirtute patri cedentem, aut indole clara.
 Posce age nate, seres quò fors tibi destinat omnes
 Imperium in gentes: En hoc tibi defero sceptrum
 Solus ut Hesperijs domineris, solus Eois,
 Quos candente tui confringes cuspide sceptri,
 Tam facile ac fragilem figulus quàm fuxerit ollam.
 Nunc igitur Reges, simul omnes denique, quorum
 Arbitrio paret uasti custodia mundi,
 Dedite uos posthac uirtuti, quærite rectum,
 Quinetiam Dominum læto puidoque colatis
 Pectore, & amplexu natum foueatis amico.
 Ne uobis (subitam quando exardescet in iram)
 Ingruat interitus: tunc terq; quaterq; beati,
 Huic qui confidunt non ficto pectore REGI.

PSALMVS XXIII.

Cum me stelliferi summus regnator Olympi.
 Frugiferiq; soli pascat, quid plura requiram?
 In loca me ducit molli uiridantia prato,
 Hic ubi lene sonans uitreae fons labitur undæ.
 Imbuit ille meum tristi mœrore grauatam
 Læticia pectus: quin me quoque tramite recto

f

In loca iustificæ perducit tuta salutis,
 Ipsius ob numen, maiestatemq; uerendam.
 Seu stygis obuerser speluncis abditus atris,
 Mens tamen impauido mihi pectore firma sedebit,
 Dum modo subueniens tua me præsentia seruet:
 Me pedumq; tuum firmat, baculusq; cadentem
 Plena mihi lautis apponis fercula mensis,
 Insuper & tribuis ualidum mihi robur, ut hostes.
 Hisce meis manibus cicures fera pectora reddam,
 Balsameoq; meum caput unguine perfudisti:
 Mellifluoq; mero plenum cratera dedisti.
 Me pater ergo tui clementia summa fauoris.
 Prosequitur: quare ipse tui sublimia templi
 Tecta colam semper, dum spiritus hos reget artus.

PSALMVS XXXIII

TE pater assidue noctesq; diesq; sonabo
 A te principium, & à te mea carmina finem
 Accipient donec fuerit mihi uita superstes
 Donec & aspiciam radiantia lumina solis:
 Te solum extollam, Rex illustrissime Regum:
 Tu si quidem summum decus es, mea gloria solus.
 Vos igitur, quorum consumit pectora mœror,
 Ponite tristitiam, dominum celebremus ouantes:
 Solus hic afflictos grauius miseratur egenos.
 Solus opem præstat cunctis mortalibus, illum
 Implorantibus extremo in discrimine rerum:
 Ipse etenim Dominum nuper cum querere uellem,

Pro

Protinus exhibuit quæsitæ munera uoti,
 Eripiens summis mea saucia membra periclis.
 Ergo & opem Domini qui corde dolente requirit
 Huius erit nullo facies suffusa pudore:
 Nam simul ut luctum hic testantia uerba profudit,
 Audiit, ærumnis cunctisq; repente leuauit.
 Quid quòd & Angelici fidißima turba, ministri
 Præsto solent cunctis Dominum metuentibus esse.
 Noscite mortales, perpendite mente sagaci
 Quàm Ioua sit uobis clemens pater, atque benignus
 Qui Domino fidit, Dominum reuerenter adorat,
 Ille beatus erit, rebusq; opulentus opimis.
 Adde quòd & Dites rerum torquebit egestas,
 Qui dominum metuent non ullis rebus egebunt.
 Verùm agite ò pueri, docilis mea cura, iuuentus
 Vos ego prudenter, mihi fidite, cuncta docebo.
 Nempe Deus uobis qua sit ratione colendus.
 Hunc igitur, uitam qui ducere cunq; beatam
 Expetit, ille suam (ne subdola forte loquatur)
 Neue malum, ualidis linguam constringat habenis.
 Sit pietatis amans, pacis studiosus, & æqui,
 Non etenim iustos Deus auersabitur unquam,
 Sed prope circumstans hos protegitur atq; tuetur.
 Aspiciens contra sceleratos lumine toruo,
 Tollat ut illo:um de tota nomina terra.
 Cunq; pius Domino, passis ad sydera palmis,
 Supplicat, exaudit uocem gemitumq; precantis
 Subuenit, & clades subito profligat, & arcet.
 Consilioq; iuuans inopes succurrit amico,

f 2



Auxilium præstans contrito pectore cunctis,
 Multa ferunt iusti, sed eos clementia tandem
 Numinis ereptos luctu, gemituq; leuabit:
 Ossaq; quin studio custodiet omnia tanto
 Confringi ut nullo patiatur tempore: Verum
 Improba quisquis agit quisquis scelera impia patrat,
 Ipse suo sibi iumento mala plurima conflat.
 At clarum pietate uirum qui spernit & odit,
 Hic culpæ reus est, hic criminis author habendus.
 Qui Domino fedit, uacat omni crimine prorsus:
 Afferet ille suos seruos sibi, splendida donans
 Pro seruis charum redimendis præmia natum.

H V N C H Y M N V M E X O L Y M P I A E

Græco, Xystus Betuleius Conuertit.

P S A L. XLVI.

EST salus nobis Dominus benigna,
 Est fugæ præsens miseris asylum,
 Robur est firmis, medijsq; malis
 Auxiliator.

Nullus hinc certo timor esse debet,
 Pectus afflicta tibi, si uel omnis
 Orbis insurgens premat, atq; montes
 Præcipitentur.

Namq; si diræ iuga rupis alta,
 Impetu seuo maris æstuosi
 Irruant fluctus, quatiantq; terram
 Undiq; latam

Vr-

Vrbe sed diua scaturit perennis
 Limpidi fontis liquor, atq; celsæ
 Arcis oblectat nitidæ Tonantis
 Culmina summi.

Vrbis ast huius Dominus creator
 Ipse qui totum moderatur orbem
 Hanc colit, tutam facit, inde abarceat
 Cuncta pericla.

Totius mundi populi potentes
 Principes orbis truculentiores
 Arma si sæuo moueant tumultu
 Bella gerentes.

Fortior multò tamen Imperator
 Summa rerum quem penes est, & ipse
 Viribus pollet. Ioua rector orbis
 Eripiet nos

Ergo mortales oculis uidete
 Discite & quantum à Domino iuuemur,
 Quanta sint cælo bona, quanta terra
 Quanta potestas.

Bellicos motus abiget, potentes
 Viribus franget ualidos & arcus,
 Reddet obtusos gladios, & igne
 Plaustra cremabit.

Summe dic Princeps: mea scripta cerne,
 Hoc meum robur, mea tela & arma:
 En potens uobis Dominus, Deusq;
 Laus mihi soli
 Fortior multò tamen Imperator

Summa rerum quem penes est, & ipse
 Viribus pollet: Ioua rector orbis
 Eripiet nos.

PSALMVS LXX.

Maturato Deus properè mihi ferre salutem,
 Obruat illorum infamis confusio mentes,
 Mittere qui nostras animas conantur ad Orcum.
 Fac Deus erubeant, simul & terga impia uertant,
 Dedecores illos mihi qui mala cunque minantur
 Ocyus aufugiant, subito dent terga pudore,
 Qui me proscindunt petulante subinde cachinno.
 At qui te populi pastorem cunque fatentur,
 Qui te præ cunctis celebrant, uenerantur, honorant
 Atque tuum toto reuerentur pectore natum,
 Letitia nullo peritura sine fruantur:
 Ast mihi confractio grauius, rerum omnium egeno,
 Maturato Deus properè mihi ferre salutem,
 Festinus succurre mihi Ioua, ne cunctere.

PSALMVS CXXV.

Haud secus ac rupes manet inconcussa Sionis
 Sic quibus in Domino fiducia firma locata est,
 Hostili nunquam succumbent Marte perempte.
 Ac ueluti montes Solymorum moenia cingunt
 Sic Deus hunc populum

Non igitur iustam (quisquis facit impia) gentem
 Perpetuo premet imperio, ne scilicet ipse
 Promissis Domini iustus diffidat amicis:
 Propitius Deus esto bonis: fac pace fruantur
 Aeterna Solymi, diuinæ pacis alummi.
 At tu perde viros sceleratos, perde nocentes.

PSALMVS DAVIDIS EXTRA
 ILLOS CL.

Non erat in patria me quisquam iunior aula,
 Corpore nec fratrum me minor ullus erat
 Lanigeras paui pecudes in montibus altis,
 Mulcebatq; animum fistula grata meum.
 Et licet insigni fuerint mihi corpore fratres,
 Nil tamen his quicquam profuit ille decor.
 Nam dedit ille mihi, quem sunt penes omnia, sceptrum,
 Qui cunctos audit, cuncta uidetq; Deus.
 Finis Psalmorum.

SEQVVTVR OLYMPIAE EPIGRAM
 MATA TRIA EODEM VTHENHO.
 VIO INTERPRETE.

DE CHRISTO CRVCIFIXO.

Aeneus ut serpens uasto medicatus in agro est
 Hunc, qui serpentum uulnere laesus erat:
 Haud secus aspiciens Christum super alta leuatum
 Protinus hic sentit, sit licet ictus, opem.

EPITAPHIVM IN IOANNEM LIN-
DEMANNVM VERBI DEI
PRAECONEM.

Conditus hoc tumulo iacet ecce uir inclytus ille
 Qui fido Christi pectore paut oues.
 Has propter uitae discrimina mille subiuit,
 Acria cum saeuis bella gerendo lupis.
 Hunc Deus hoc tandem tumulo requiescere iussit,
 Defunctum uarijs iam sat in orbe malis.
 Ne quaecunq; manent homines mala cerneret, aut quae
 Damna premunt, illi perpetienda forent.
 Tempus erit, Christi quo mox uirtute resurgat,
 Ut semel extremam clauscrit hora diem.

VOTVM CONNUBIALE.

O Deus omnipotens cunctorum maxime Regum.
 Masculei generis, foemineiq; sator,
 Auspice quo primum coniunx sociata marito est,
 Scilicet humanum ne genus occideret.
 Quiq; animas hominum sponsam uis cedere nato,
 Huncq; mori fide coniugis ergo suae:
 Connubio iunctos, fac opes & gratia iungat:
 Est etenim ritus, lectus hymenq; tuus.

D.

D. OLYMPIAE. DOCTORIS AN-
DREAE GRVNTHERICONIVGI
FOEMINAE HONESTISSIMAE
DOCTISSIMAE Q'VE, IA-
COBVS MICYLLVS

Quae, latias nymphas, quae uincis Olympia graiae
Pierij sacro semine nata chori
Accipe non equo deductos stamine uersus,
Et male Teutonicis carmina texta iugis:
Quae tibi si placeant. Phœbo placuisse putabo.
Meq; operæ precium grande tulisse meæ.
Sin autem à uero tibi deerrauisse uidemur,
Plus uel minus uel aliquid, quam posuisse, decet,
Materiæ, nouitas culpam sine uendicet istam,
Et ueniam ingressis hanc, iter adde nouum.
Nanq; etiam uolucres inter non parua sagittas,
Longius à posito pars uolat acta scopo:
Nec quæ, stridenti iaculo petit eminus hostem,
Perpetuo uoti dextera compos abit.

C. S. C. OLYMPIAE FVLVIAE MO-
RATAE ἀποθέωσις HENDE-
CASYLLABI

Qui sparsam uiolis humum uiator
Panchæoq; stupes odore passim
Fragrare omnia, iam benignus audi.
Treis nosti Charitas, nouemq; Musas
criptis per celebres uetustiorum:

Queis quantum est alibi uenustioris
 Artis, uel lepidæ eruditionis,
 Harum pectora nutriente Phæbo, flatu
 Illo, quem perhibet chorus sacrorum
 Vatum de ætherijs plagis uenire,
 Consensu tribuunt pari poetæ.
 Hoc, quam forte putas tegi, sepulchro
 Musarum decima est, Charisq; quarta.
 Hanc, quòd progenitam ferant Olympo
 Vatem, Pallas Olympiam uocauit.
 At cur Fulvia nomen inditum illi est?
 Fului scilicet hæc quòd instar auri
 Explorata malis laboriosis,
 Et fatis agitata sæpe duris,
 Auro purior attamen reperta est:
 Seu fulvæ quòd auis modo, beatos
 Inter uiuere cœlites sueta,
 Terras liquerit ocyus iacentes.
 Quòd uerò ingenio ualens sagaci
 Raris dotibus ingeni puellas
 Inter fulserit eruditione,
 Castis prædita moribus, bonisq;
 Morata est ideo uocata uulgo.
 Hanc CHRISTVS Dominus dedit uidendam
 Terris: at simul ac flagrare uidit
 Hanc desiderio sui, repente
 In cœlum rapuit, sibiq; iunxit
 Firmo fœdere connubi ligatam.
 Qui cum nunc placidam capit quietem,

Consors perpetuae beatitatis.

At tu uiue, uale diu uiator

Virtutemq; animo colas probato,

Quae te sola potest beare caelo.

ANTIQVO FVLVII MORATI PA-
TRIS ET LVCRETIAE MATRIS
HOSPITIO, DIVINOQVE OLYM-
PIAE INGENIO, LITERIS, PIETA-
TI VERAЕ: NEC NON ANDREAE
GRVNTHLERI EIVS MARITI, MOE-
RORI C. S. C. HOS HENDECA-
SYLLABOS DEDIT. VIXIT AN-
NOS NON TOTOS XXIX. MI-
GRAVIT AD CHRISTVM VII
CAL. NOVEMBRIS ANNO
CHRISTIANAE SALVTIS
M. D. L. V. HEIDEL-
BERGAE.

IDEM GRAECAE A CAROLO

*Vtenhouio paulò liberius redditum carmine
ne Anacreonteo.*

Partim huius instar

θέλω λέγειν Ατρείδας.

partim huius:

Δότε μοι λύρην ὁμήρου.

Ὅσ' ἀνθέων ἀπάντων
Γαῖαν καλῶν παρέρχη
πλήθουσεν ἠδὲ ζητεῖς
τίκειν τόσοις ῥόδ' οἰσι,
τίκειν τόσοις μύροισι
Ὀξυσα γῆ μελίσει.
ἀνάγνωσον, ἠδ' ἀθροσον
ὑποκειμένους ἰάμβους.
ἀναπαιστικοῖς μιγέοντας.
τριάδ' οἶομαι γινώσκειν
χαρίτων σε, τ' ἐννάδ' ἰρῶν
Σίερον χόρον, θεῶν
ὄνομα' ἄς καλοῦσι μῦσας.
μεγάλων αἰεὶ ποιητῶν
σομάτων εὐκλεούσας.
φύσις αἰεὶ ἐνεσι πασῶν
Διδαχῶν, τεχνῶν θ' ἀπασῶν
ἀρετῶν μέρη θ' ἀπασῶν
μέγα θαῦμα, τῶ θ' ἀπασῶν
βροτέων τε καὶ θεείων.

φρένας

φρένας ὦν ὀφοῖβθ' ἀσκει.
 Ἄταρ ἐνθάδ' ἤν νομίζεις
 Θανάτω δ' αμείσαν ἠδ' ἢ
 κτερεῖσμένην καβέυλει.
 χάρις ἔσι μὲν τετάρτη
 δεκάτη τε μῦσα μῦσῶν
 λατίων τε Αἰλικῶν τε.
 οτι τὴν μὲν ἐξ ολύμπω
 Γεγαῖαν ἢ γερῆς φῶς
 γενέτεια Παλλάς, αὐτὴν
 καὶ ολύμπιαν κάλεσε.
 Ερυθραία, ὅτ' ἐρυθρὸς
 καθὰ χρυσὸς, ἐν κακοῖσι
 πολέεσι, κινδύνοισ τε
 δοκιμασμένη τὰ πολλὰ
 πολὺ μάλλον ἢ φαεινόν,
 πολὺ μάλλον ἢ τὸ πυρρὸν
 ἔμεν εὐρέθη μέταλλον.
 Ἡ δὲ ὄρνιθθ' καὶ αὐτὴ
 Ερυθρῆς δίκην μάκαρσι
 Σὺν ὁμέσιθ' θεοῖσι
 Δίωε γῆς κακῆς βέρεθρον.
 ἐπὶ τῷ τρίτῳ δ' ἔνεσι
 οἱ ἐπώνυμον γυναικί
 λατίων φράσει Μορῶτα,
 διὰ τὸ μόνον, ὅτι
 μέγ' ὑπεύροχθ' γυναικῶν



μεγ' ὑπεύροχ' ἔτε Νυμφῶν,
 Χαρίτων τε φῶς ἀπασῶν
 Ἐτιζήσα πρὶν αἰοτ' ἦεν.
 Ἀρετῶν τρόποις ἀπασῶν
 Πεποικασμένη, καὶ ἠθῶν.
 Θεὸς εἰς Βροτῶν ὄμιλον
 Ἐθόμισε τὴν δὲ κέρην
 Χρόνον οὔσα μ' ἔνθα Βαιῶν
 Τίκην ἀρ' ἕλκεται ταύτην
 Τί κέρην λέγω; θεάναρ
 Πολὺ λώϊον καλοῖμην.
 Ἀτὰρ ὡς ἔωπוט' αὐτῷ
 Ἐχέμεν πόθῳ κατεΐδμεν
 Ἐς Ολύμπου αὖ ἀνῆγαμ,
 Γαμέοις νόμοις τ' ἔξευξεν
 Νιν εἰοίθεός μέγισθ'.
 Παρὰ τῶ, νινι θανῶσα,
 Καμάτων ἄτερ, πόνων τε
 Μαλακοῖσιν ὡς ὕπνοις
 Ἐς αἰῶνα πάντοθ' εὐδαι.
 Σὺ καλῶς μὲν οὐλ' ὀδ' εὐτα,
 Σὺ μὲν εὐτύχει, καὶ ἰσὴν
 Ἀρετῷ σέβῃ προ πάντων,
 Ἀρετὴ μόνη γὰρ αὐτὰ
 Δάμαται Βροτῶν ἀπάντων
 Σε μακάρτατον ποιεῖδαι.
 τέλθ'.

D. OLYMPIAE MORATAE GRUVN-
 THLERAE, QVAE OBIIT VII. CA-
 LENDAS NOVEMBRIS ANNO
 DOMINI M. D. L. V EPITA-
 PHIVM.

MICYLLVS FACIEBAT.

ITalis hac tegitur telluris Olympia mole,
 Pierios inter foemina prima choros.
 Quae patriae quondam cum coniuge sede relicta,
 Ad uada consedit flauae Sueuae tua,
 Hic ubi finitimos exercet uinea Francos,
 Et liquidis iuxta Moenus aberrat aquis
 Mox saeuus incensa fureret cum miles in urbe,
 Ferret et hostili, sacra profana manu.
 Bis spoliata bonis, bis saeuae proxima morti,
 Venit ad haec Nicri flumina iuncta uadis.
 Addiderat Musis Graecorum scripta Latinis.
 Et pariter lingua docta in utraq; fuit,
Naturae specimen rarum felicis, et una
 Ingenio cunctis anteferenda uiris,
 Sed neq; laudis honos retinet nec gratia Parcas,
 Occidit, et longa nocte sepulta iacet.
 Cuius tu cineri requiem, placidumq; soporem,
 Optes, o hospes, caetera morte uacant,

τέλος.

ME-

MEMORIAE OLMPIAE MORATAE
 F O E M I N A E D O C T I S S I M A E
 I. C.

Mortalem liquit Doctissima Olympia uitam
 Sed quia cum multo foenore liquit eam,
 Non lugere decet conscendit Ὀλύμπια nanq;
 δώματα. quæ coluit, religiosa deum.
 In cœlo μαναροῖσι φίλην μιχθῆσα θεοῖσι
 Nunc est, cui mundus semper iniquus erat.

MEMORIAE ANDREAE GRUNTHLE
 RI MEDICI OLYMPIAE MARITI
 NOSTRI COLLEGAE.

Amissa socia studiorum & coniuge lecti
 illa inter Musas quæ numeranda fuit,
 Cœlo animam, tumulo huic tua iam Grunthlere dedisti
 Ossa, quòd haud ultra uiuere dulce fuit.

OLYMPIA, GASPARI STIBLINI
 ECLOGA.

Nox terris fuscas nebulosa offuderat alas,
 Dum capio dulcis gratissima munera somni:
 Ecce per obscuras tristi uenit horridus umbras
 Latòus cùltu. Non illi fulgor ab ore
 Consuetus radiat, nec lauri fronde corolla

Nexa

Nexa uirescenti caput ornat, ut antè solebat:
 Sed mœstus pullo penitus liuebat amictu,
 Tristè gemens, lachrimis humentiaq; ora rigabat,
 Inde addit tristes uoces, ac talia fatur:

Plangite Pierides uestræ miseranda puellæ
 Funera, lanificis nimium properata deabus.
 Plangite facundi diuini Helicônis alumni,
 Quos fouet in gremio Ioue natæ cura Mineruæ.
 Occidit indigno cœlestis Olympia fato:
 Deseruit mœstas cœlestis Olympia terras.
 Nostræ decessit prælustris stella choreæ.
 Iam Nymphæ lugent, lugent & Oreades omnes.
 Per rupes Venus ipsa querens sub ualle profunda
 Insonat: & Satyræ ruralia numina questus
 Ingeminant: Eheu discessit Olympia nostra.
 Quæ sæpe Eridani torrentia flumina cantus
 Diuino tenuit, medioq; absistere cursu
 Impulit, atq; imis nos exhilarauit in undis.
 Quæ iuga nubiferi resonabat & Apœnmini,
 Ac latè syluas uirides, lucosq; sonantes
 Demulsit: Quis te demersit Olympia casus?

Ipse licet subitus pavidos tremor tret in artus,
 Aio tamen: Causas infaustæ ô Phœbe querelæ
 Altius has repetisse iuuet, simul incipit ipse.

Fulsit in Hesperia longè clarissimus urbe,
 Quæ tenet à rigido non infima nomina ferro,
 Vir pridem ingenuas cunctis uenerandus ob artes:
 Nomen erat MORATVS ei, quia moribus ille
 Præstaret sanctis, uitæq; exemplar honestæ

De se præberet. Ternas ex coniuge natas
 Sustulit hic casta, sanctoq; innutrit honesto
 Vnguibus à teneris, nec non uirtutis amorens
 Ingignit, iubet & statim libamina Musis,
 Ponere prima sacris. Excelluit illa duabus,
 Quam flemus, reliquis, longo discrimine uincens
 Doctrina, ingenio, uirtutibus, indole, mente.
 Applicat ad Sophiæ libros puerile sacratæ
 Pectus, & in celsas rupis Parnasidos arces
 Suspirat, bis sex cum uix exegerat annos.
 Fauimus egregijs Musæ conatibus omnes,
 Atque ego: dum sacris candentia labra rigaret
 Fonte Medusæo lymphis, carmenq; ciceret
 Tangere docta fides digitis, uel quale Thalia
 Ipsa audire uelit, cupiatq; Oeagrius Orpheus
 Pro quo Mœoniæ malis uix carmina chordæ,
 Nec laudes eius, quo floruit Ascræ, Camœnam.

Doctiloqua Argolicæ uertebat pulpita gaze,
 Sedula, post longa Ausoniæ commercia lingue,
 Nec minus Aonio stringebat uerba tenore,
 Quam Latio filo ducebat nobile carmen.
 Hinc fama cœli fulgentia contigit astra,
 Atq; per ora uirum ferri clarissima cœpit:
 Hinc domina Eridani tantum decus allicit aulæ
 Delicijs, magnoq; simul dignatur honore:
 Tanta fuit Morata tui admiratio cantus.

Sed strepitus tandem, & magnos exosa tumultus,
 Virgo quietis amans, sublimem deserit aulam,
 Ducere sæta prius tranquilla per otia uitam.

At

At suaves citharæ chordis elidere cantus,
 Utq; sibi socium studij, uit. eq; pararet
 GRVNTHLERVM elegit cupidis complexa lacertis,
 Quem non obscuro genuit Franconia patre.
 Ille Machaonia pridem clarebat in arte,
 Ingenij præstans iuuenis, formaq; decorus,
 Req; satis lauta, lingua bene doctus utraq;
 Et qui Morata prorsus sit coniuge dignus.
 Istali patrios repetit consorte penates
 Ingrediturq; suam cunctis plaudentibus urbem.

Sed cum fatali rueret Suinfordia casu,
 Scuiretq; feris vastator Marchio bellis
 Et Vir præsentis fugeret discrimina Martis,
 Heu misera in medijs errabat Olympia turbis
 Incertum, illius nec erat reuerentia Musis:
 Quò se tum rapiat? uel quò uestigia uertat
 Tot iactata malis? eiecto ex urbe marito
 Qui solus poterat miseris solatia rebus
 Præbere afflictæ, & tantum lenire dolorem.
 Hanc tamen elapsam sæuis ex hostibus Heros
 Mente Palatinus placida ad sua tecta recepit,
 Cumq; uiro fouit lassam, saturamq; laborum.

Plangite Pierides uestre miseranda puellæ
 Funera, lanificis nimium properata deabus.
 Dire profanorum Mauors stolidissime Diuum
 Contemptorq; sacræ, quæ recreat omnia, Muse,
 Quem cædes, sanguisq; beat, stragesq; uirorum,
 Unde tibi furor is, unde hæc insania ferri,
 Ut tantum iuuet innocuos excindere uates?

Qui sepe infernum cantu flexere tyrannum,
 Eumenidesq; truces, & cætera monstra paludis
 Tartaræ, nulla solus leniris ab arte.
 Pernicies, luctus, clades, tua sola uoluptas.
 Te cremet ardenti cœlestis Iupiter igne,
 Imponatq; tibi saxosa mole Pelorum,
 Aut te in Caucasæas suspendat compede rupes
 Arctôas ut ferre niues Scythiæq; pruinas
 Aeternum uideant Themis, & Pax optima rerum.

Plangite Pierides uestræ miseranda puellæ
 Funera, lanificis nimium properata deabus.
 Dum sonat Aeolio blandissima carmina plectro,
 Dum quoq; sublimem dulci rapit æthera cantu,
 Dumq; hominesq; ferasq; trahit, uenit horribilis uis
 Suaueq; fundentem cithara melos interrumpit.
 Qualis ad Ionium uicina morte Caystrum
 Emittere liquidam cygnus de gutture uocem,
 Dumq; canit uitam languens exhalat in auras.

Plangite Pierides uestræ miseranda puellæ
 Funera, lanificis nimium Properata deabus.
 Quis te diua tuis inuidit Olympia Musis?
 Tale quis Ausoniæ casus decus abstulit oræ?
 Inclyta quod fausto tulerat Ferraria partu,
 Quodq; ad Teuthonicos, paucis uoluentibus annis,
 Transtulit: aduersum licet infremat Itala tellus.
 Quis memorare tuas, quis posset. Olympia laudes,
 Aut quis triste tuum lachrymarum funus adæquet
 Riuis? qua uiua Sapphus iactura uideri
 Iam poterat leuior: fuerat quoq; do te ferendum


Fatuns

*Fatum Alcæ tuum: nec iam te lugubris Aleman
Urgeret cœtus. Hæc omnia sola leuabat
Suavis Lesbico dum uixit Olympia uersu.*

*Plangite Pierides uestre miseranda puellæ
Funera, lanificis nimium properata deabus.
Alcæi dum Diæ sui modulamina Lesbos,
Archilochumq; Paros, nec non Bœotides amnes
Pindaricæ citharæ modulos, Mythelena Pelasgam
Laudabit Sapphō; tam te Germanica rura,
Tamq; diu Hesperia laudabunt carmine syluæ.
Talia cum Phœbus mihi lamentatur ad aures
Excitor è somno, dixitq; nouissima Phœbus:
Aeternum uiuas ô dulcis Olympia, uiuas
Fortunata, tuos pacabunt carmine manes
Vates. Per totum uiuet tua gloria mundum.*

Finis

8 3



OLYMPIAE FVL.
MORATAE GRVN
TLERAE. FORMA
QVONDAM MVLIE
RI, INGENIO HOMI
NE MAIORI, ANI
MO QVO SOLO CHRI
STVM CAPERET,
SPERNERET MVN
DVM TOTVM. BA
SILIVS IOANNES HE
ROLD. CIVI COELE
STI. P. VIXIT AN
NOS XXIX. VICIT
M.D.LV. MENSE
DECEMB.

TRIUMPHAT AE
TERNVM.

GERMANIA

ITALIA

SPRETI
INFRADO

1556



HERPOLIAE TAVRINAE
TAVRINAE EPISCOPO AD MARITIMUM
SVM BATTASARIUM CASTRUM
NRM APD LONEM X. PONTI
ROM ORATOREM

LECTORI

NE & hæc clara atque erudita fœmina suo
honore careret, huc eius elegantem ele-
giam apponere libuit, & si in dispari argumento
atque nostra Olympia versetur. Sed prudens lecto
temporis, & personarum, & loci, quibus scri-
pta est, ratione habita, quicquid illud
est in bonam partem
accipiet.

84

Et quæ per
Plurimæque
Vt præter
Et celebrat
Aut eadem
Nec mihi
Te sine
Non amo
Et sunt

100



HIPPOLITÆ TAVRELLÆ MAN-
TVANÆ EPISTOLA AD MARITVM
SVVM BALTHASAREM CASTILIO-
NEM APVD LEONEM. X. PONTI-
ROM. ORATOREM.

Hippolyta εὐπράττειν iam dicit Castilioni,
Addideram imprudens, hei mihi, penè suo.
Te tua Roma teiet mihi quam narrare solebas
Vnam delicias esse hominum atq; deum.
Hoc quoq; nunc maior quòd magno est aucta Leone,
Iam bene paciti qui imperium orbis habet.
Hic tibi nec desunt celeberrima turba sodales,
Apta oculos etiam multa tenere tuos.
Nam modò tot prisca spectas miracula gentis,
Heroum & tuulis clara trophæa suis:
Nunc Vaticania surgentia marmore templa:
Et quæ porticibus aurea tecta nitent:
Irriguos fontes, hõrtosq; & amœna uireta
Plurima quæ umbroso margine Tybris habet:
Vtq; ferunt lætus conuiuia læta frequentas-
Et celebras lentis otia mista iocis.
Aut cithara æstiuum attenuas cantuq; calorem:
Hei mihi quàm dispar nunc mea uita tuæ.
Nec mihi displiceant quæ sunt tibi grata, sed ipsa est
Te sine lux oculis penè inimica meis.
Non auro aut gemma caput exornare nitenti
Me iuuat, aut Arabo spargere odore comas:

Non

613
Non celebres ludos festis spectare diebus,
Cum populi complet densa caterua forum
Aut ferus in media exultat gladiator harena,
Hasta concurrit uel catafractus eques.
Sola tuos uultus referens Raphaelis imago
Picta manu, curas alleuat usq; meas.
Huic ego delitias facio, arrideoq; iocorq;
Alloquor, & tanquam reddere uerba queat
Assensu nutuq; mihi saepe illa uidetur
Dicere uelle aliquid, & tua uerba loqui.
Agnoscit, balboq; patrem puer ore salutat,
Hoc solor, longos decipioq; dies.
At, quicumque istinc ad nos accesserit hospes,
Hunc ego quid dicas, quid facias ue rogo.
Cuncta mihi de te incutiunt audita timorem,
Vano etiam absentes saepe timore pauent.
Sed mihi nescio quis narrauit saepe tumultus,
Misericq; neces per fora, perq; uias.
Cum populi pars haec Vrsam, pars illa Columnas
Inuocat, & trepida corripit arma manu.
Ne tu, ne quæso tantis te immitte periclis,
Sat tibi sit, tutò posse redire domum.
Romæ etiam fama est cultas habitare puellas,
Sed quæ lasciuo turpiter igne calent.
Illis uenalis forma est corpusq; pudorq;
His tu blanditijs ne capiare caue.
Sed nisi te captum blanda hæc iam uincla tenerent,
Iam longas absens non præterere moras.
Nam memini cum te uiuum iurare solebas,

Non animā, nec me posse carere diu,
 Viuas Castilion, uiuasq; beatius opto:
 Nec tibi iam durum est me caruisse diu.
 Cur tua mutata est igitur mens? cur prior ille
 Ille tuo nostri corde refrixit amor?
 Cur tibi nunc uideor uilis? nec ut antè solebam
 Digna tori socia, quam paterere, tui?
 Scilicet in uentos promissa abiere, fidesq;
 A nobis simul ac uestri abiere oculi.
 Hic tibi nunc forsā subeunt fastidia nostri,
 Et graue Hippolitæ nomen in ore tuo est.
 Me tibi, teq; mihi fors et Deus ipse dedere:
 Quod nam igitur nobis dissidium esse potest?
 Verū ut me fugias, patriam fugis improbe? nec te
 Chara parens, nati nec pia cura tenet?
 Quid queror? en tua mi scribenti epistola uenit,
 Grata quidem, dictis si modò certa fides:
 Te nostri desiderio languere pedemq;
 Quamprimum ad patrios uelle referre lares,
 Torquerisq; mora, sed magni iussa Leonis,
 Iamdudum reditus retinuisse tuos.
 His ego perlectis, sic ad tua uota reuixi,
 Surgere ut æstiuis imbribus herba solet.
 Quæ licet ex toto non ausim uera fateri,
 Quali acunq; tamen, credulitate iuuant.
 Credam ego quod fieri cupio, uotisq; fauebo
 Ipsa meis, uera hæc quis neget esse tamen?
 Nec tibi sunt præcordia ferrea, nec tibi dura
 Vbera in alpinis cautibus Vrſa dedit.

Nec

Nec culpanda tua est mora: nam praecepta deorum
 Non fas nec tutum est spernere uelle homini.
 Esse tamen fertur clementia tanta Leonis,
 Ut facile humanas audiat ille preces.
 Tu modo & illius numen ueneratus adora,
 Prona; sacratis oscula fer pedibus.
 Cumq; tua attuleris supplex uota, adijce nostra:
 Atque meo longas nomine funde preces.
 Aut iubeat te iam properare ad moenia Mantus:
 Aut me Romanas tecum habitare domos.
 Namque ego sum sine te, uelut spoliata magistro
 Cymba, procellosi quam rapit unda maris.
 Et data cum tibi sim orba utroq; puella parente,
 Solus tu mihi uir, solus uterq; parens.
 Nec minus ingrata est uita, hei mihi, namq; ego tantum
 Tecum uiuere amem, tecum obeamq; lubens
 Praestabit ueniam mitis Deus ille roganti
 Auspicijsq; bonis & tibi dicet, eas.
 Ocyus huc celeres mannos conscende uiator:
 Atque moram statim rumpe, uiamq; uora.
 Te leta excipiet festis ornata coronis:
 Et domini aduentum sentiet ipsa domus.
 Vota ego persoluam templo, inscribamq; tabellae:
 Hippolyta salui coniugis ob reditum.

FINIS


ERRATA.

Pagina	versu.
20.	cuius cum tu. 17. imiteris, caue. 18
25.	ἑυπράττειν. 4. quatuordecim. 9. omni. 14.
28.	improbitatem. 16.
29.	dolendum putavi. 21.
30.	OLYMPIA. 14.
35.	Andream. 14.
60.	GRVNTHLERA. 1. Curionis. S. D. 2
65.	euocari. 22.
66.	diuinorumque 22.
67.	gratificari. 23.
88.	fraudesque. 21. properè. 16. iuga. 25.
91.	Ille. 12.
92.	præmia. 12.
94.	perempto. 24.
97.	IN OLYMPIÆ. 20. Scriptis ultimo.
104.	OLYMPIÆ. 1.

EPITAPHIVM.

HIPPOLITÆ TAVRELLÆ, VXO
RI DVLCISSIMÆ. QVÆ IN AM.
BIGVO RELIQVIT, VTRVM PVL
CHRIOR AN CASTIOR FVERIT.
PRIMOS IVVENTÆ ANNOS
VIX INGRESSÆ BALTHASSAR
CASTILIONIVS INCREDI
BILITER MOERENS. P.

M. D. X. X. V.



CA 1003

Faint handwritten text at the top left of the cover.

Ch 1003

3

ULB Halle 3
 003 630 773




St.


88
 ———
 12

AC

AC







813032

OLYMPIAE FVLVIAE
MORATAE MVLIERIS OM-
NIVM ERVDITISSIMAE LATINA ET

Græca, quæ haberi potuerunt, monumenta,
eâq; planè diuina, cum eruditorum
de ipsa iudicijs & laudibus.

Hippolytæ & Taurellæ elegia elegantissima.

AD ILL. ISABELLAM BRESEGNAM.



B A S I L E Æ.
APVD PETRVM PERNAM.
M. D. L. V I I I

